



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Caput II. De Restitutione.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42561**

# LIBRI TERTII

## PARS II.

*De Restitutione, Contractibus &  
reliquis Præceptis.*

# TRACTATUS QUINTI

## CAPUT II.

### DE RESTITUTIONE.

Suppositis illis, quæ in hujus libri parte I. à n.  
936. dicta sunt de furto, nunc agendum est de  
Restitutione.

### DUBIUM I.

*Quid sit Restitutio, & qui teneantur  
ad eam.*



Esp. I. Restitutio est actus ju-  
stitiæ ad salutem necessarius,  
necessitate præcepti, quo re-  
paratur damnum proximo il-  
laturum per injuriam, ita ut ra-  
dix restitutionis non sit quæ-  
vis læsio proximi, v. g. contra  
charitatem, &c. in quibus non habet jus, quod  
violetur; sed ea tantum, quæ est contra justitiam,  
in qua propriè injuria infertur, hoc est, læditur

Tom. III.

A

ali-

aliquod jus proximi, quod is habet in re, vel ad rem, in qua damnum patitur: quod variis modis fieri potest, v. g. furando, defraudando, destruendo, rem alterius negligenter custodiendo, occidendo, mutilando, detrahendo honorem, convitiando, & similibus.

Resp. II. Ex data responsione patet, teneri ad restitutionem eos, qui intulerunt injuriam damnosam. Hæc enim est duplex, scilicet Materialis, ut v. g. cum quis rem alienam destruit, accipit bonâ fide vel retinet, id est, probabiliter judicans id sibi licere, vel esse suam: & Formalis, quâ quis rem alienam destruit, accipit vel retinet malâ fide, id est, cum sciat, vel scire possit ac debeat, id sibi non licere, & rem non esse suam. Vide Laym. l. 3. t. 2. c. 1. Less. lib. 2. c. 7. dub. 6. Bon. de contract. d. 3. q. 1. p. 6. Unde resolves,

I. Qui injuriam intulit, ex qua alteri nullum est damnum secutum, ut, si adulterium commisit, sine damnificatione alterius; non tenetur in conscientia ad restitutionem; cum hæc sit reparatio damni: potest tamen à judice cogi ad satisfaciendum pro injuria.

II. Quisquis intulit injuriam damnosam, etiam materiale tantum, tenetur restituere: sed non nisi id, quod ex alterius re adhuc habet, vel quo ex ea factus est ditior.

III. Qui intulit injuriam formalem, sive rem adhuc habeat, sive non, tenetur restituere; & quidem tantum, quantum est damnum secutum. An verò sufficiat culpa venialis, controvertunt Auctores, & sententia utraque probabilis videtur, ac in praxi tuta; saltem quando

non

non commodè potest restituere. *Vide Auctores cit. Laym. Less. n. 27. Lugo di. 8. n. 56.*

## A D D E N D A.

Q. 1. *Quenam injuria censerì debeat gravis. R.* 2  
 Cùm restitutio reparet injuriam, ut decidi possit, quandonam sit obligatio gravis restituendi, præmittendum est in genere, quandonam injuria censerì debeat gravis, & dicendum est illam esse censendam gravem, quæ spectatâ communi hominum complexione, secundum se apta est causare magnam contristationem, aut amicitiam dissolvere. Est communis cum *Esp. de Just. q. 27.*, videturque ita sentire *S. Th. 2. 2. q. 72. a. 2. ad 1.*, ubi clarè innuit illam contumeliam censerì gravem, per quam aliquis non reformidat contristare alterum: Similiter de malo q. 7. a. 1. peccatum mortale mensurat per ordinem ad dissolutionem amicitiae cum Deo & proximo. Ratio est, quia quod ratione oppositionis, quam habet cum alia virtute, est etiam simul graviter oppositum charitati, hoc censerì debet etiam esse graviter oppositum tali virtuti, quia cùm charitas sit veluti mensura reliquarum, quod ratione oppositionis, quam habet cum aliis virtutibus, est grave contra charitatem, meritò etiam censetur esse grave contra talem aliam virtutem, sed omne illud, quod ratione oppositionis, quam habet contra justitiam, communiter causat magnam contristationem vel dissolvit amicitiam, hoc etiam est graviter oppositum charitati, ergo. *Conf.* quia quod graviter opponitur fini justitiae, est

A 2                      grave

grave contra justitiam , finis autem justitiæ est pax , tranquillitas , satisfactio animi , mutuus consensus & amor per conservationem æqualitatis jurium , ergo quod his opponitur est grave contra justitiam. Ratio à posteriori est , quia homo de cætero prudens , si injuriatur , non solet graviter contristari aut renuntiare amicitiam , nisi injuria sit talis , quæ spectato communi sensu sit gravis , ergo si per injuriam aliquam detur causa gravis contristationis vel renuntiandæ amicitiae , communis sensus est injuriam esse gravem. Hæc regula postea in particulari applicabitur ad singulas materias , in quibus ob injuriam gravem est gravis obligatio restituendi. Quænam sit materia gravis furti , dictum est p. 1. à n. 979.

3 *Objicies.* Nunquam est licitum odium vel inimicitia cum proximo , ergo nunquam censetur dari causa dissolvendæ amicitiae , & consequenter nulla dabitur gravis injuria. R. N. conf. ; nam non dicimus hoc esse injuriam gravem , quo posito sit licitum alterum odisse vel cum illo habere inimicitiam , sed quo posito , spectatâ communi complexione hominum , ordinariè sit , ut homines graviter contristantur , & dissolvant amicitiam , sive hoc licitè faciant sive illicitè , hoc enim ad hanc rem non facit , quia dicimus hoc tantùm esse signum , quòd sit injuria gravis ; neque etiam in hoc consistit ratio injuriæ , sed in eo , quòd contra jus agatur.

4 *Q. 2. An scienti & volenti fieri possit injuria.*  
R. Scienti & volenti voluntate efficaciter & effectivè cessivâ juris , fieri non potest injuria ,  
potest

potest tamen fieri, si voluntas non sit efficaciter cessiva juris, uti habet communis sententia. *Pars 1.* habetur in Reg. 27. de Reg. juris in 6. *scienti & consentienti non fit injuria, neque dolus*; item Reg. 145. ff. de divers. Reg. Juris, *nemo videtur fraudare eos, qui sciunt & consentiunt*: intelliguntur autem istæ Regulæ, si quis consentiat voluntate, non tantum affectivè, sed etiam effectivè cessivâ juris: Ratio autem est, quia si ita possit cedere & re ipsa cedat jure suo, nullum jus resistet, ergo non erit actio contra jus, sed potius censebitur actio domini utentis re suâ per alium. *Pars altera* est contra *Molin. Less. Amic. Spor. & alios*; Ratio autem est, quia si invalidè & ineffaciter tantum cedat jure suo, ergo jus ipsius manet, ergo actio alterius erit contra jus ipsius, ergo injuriosa, quod magis explicabitur in solutione casuum seqq.

§. 1. Usurarius facit injuriam mutuuario solvendi usuras; item venditor emptori consentienti in pretium nimium pro merce; item simoniacus danti pretium temporale pro re spirituali, quia hi omnes consensus sunt moraliter nulli, ista enim, quæ dant, volunt dare tantum tanquam pretium, uti suppono, sed impossibile est esse illorum pretium, nam imprimis mutuum est essentialiter invendibile; deinde pretium mercis essentialiter dicit æqualitatem cum merce, ergo pretium nimium quo ad excessum non est pretium; denique res spiritualis non est æstimabilis pretio temporali, ergo nullum temporale potest esse pretium rei spiritualis: Consequenter omnes

illi consensus sunt de re impossibili, ergo moraliter nulli. Si tamen hæc darentur gratis, dantes effectivè cederent suo juri, neque fieret injuria, uti rectè *Esp. q. 16.*

6 §. 2. Judex laicus facit injuriam Clerico, quamvis consentienti in suum tribunal & volenti cedere privilegio fori; item percutiens Clericum facit injuriam Clerico, licèt consentienti in percussione suâ & volenti cedere privilegio Canonis, ita *Maur. Esp. aliique cum 7lls. t. 4. d. 2. n. 44. contra Lugo & Spor. t. 4. n. 50.*, Ratio est, quia isti consensus sunt moraliter nulli, cùm velint cessionem iuris, quo cedere non possunt, privilegia enim, quibus Clericus eximitur à foro sæculari & iniuriosâ percussione, moraliter loquendo, spectant ad statum clericalem, in cuius favorem data sunt & annexa Clerico, ergo quamdiu aliquis à se non abdicat statum clericalem, etiam non potest illa privilegia abdicare, adeoque voluntates illæ cedendi sunt moraliter nullæ; quod de Clerico in percussione suâ consentiente expressè asseritur *Cap. Contingit. 36. De sent. excomm.*, hujusmodi manus injectio, etsi non violenta, tamen iniuriosa videtur, cùm ille Canon non tam in favorem Clerici ordinati, quàm in favorem Ordinis clericalis fuerit promulgatus: Ex quibus verbis patet, non tantùm esse iniuriosam statui clericali, sed etiam Clerico, nam respectu ejusdem dicitur injuriosa, respectu cuius dicitur non violenta, esse autem violentam vel non violentam, dicitur respectu ipsiusmet Clerici, uti rectè *Plat. p. 3. n. 714.*

7 §. 3. Adulter facit injuriam marito & uxori,  
cum

cum qua adulteratur, quamvis maritus & uxor consentiant fieri, velintque cedere juri suo, uti rectè *Dicast. Maur. Esp. Platel:* suprà & alii contra *Lugo, Sporer, Haun. Ills:*, qui dicunt tale adulterium non esse injuriam, quamvis habeat specialem malitiam repugnantem bono Sacramenti conjugii & prolis: *Ratio* est, imprimis quia jus, quod unus coniux habet in corpus alterius, est jus personale soli coniugi privativè competens, id enim postulat natura Matrimonii, ut quia per illud ipsi duo tantum, fiunt caro una, ipsis solis possit competere jus mutuum in corpora, ergo hoc jure cedere non potest conjux in favorem tertii: deinde jus illud competit huic & illi coniugi potiùs ratione Matrimonii, quàm ratione ipsorum coniugum, ergo quamdiu manet Matrimonium, manet hoc jus matrimoniale, cui coniuges cedere non possunt, uti antè dictum est de privilegiis clericalibus.

§. 4. Impuberi, & in quibusdam casibus etiam pupillo & minorenni consentienti in contractum sibi noxium, fit injuria, quamvis velit cedere juri suo, quia consensus ejusmodi est moraliter nullus, cum per leges irritetur, unde idem est, ac si physicè non esset.

§. 5. Qui occidit volentem, facit injuriam non tantum Deo, sed ipsimet occiso, uti communius docetur contra *Molin. & Esp. q. 16. in fine*, quia jus, quod habet ad usum vitæ suæ, est ex Dei voluntate ipsi acquisitum cum vita, voluitque Deus non esse abdicabile, nisi simul ex voluntate Dei, unde voluntas ipsius ineffaciter cedit jure ad usum vitæ. *Nec obstat*, quòd occisus non amplius



existat, nam adhuc existit ipsius anima, in qua residet jus ad unionem & simul ad usum vitæ, ita *Haun. t. 2. n. 595.*

- 10 §. 6. Consentienti ex vi, dolo vel metu gravi injustè incusso, fit injuria, quia ille consensus non est moraliter liber, non enim censetur consentire, qui iniquè inducitur, & non consentiret, si posset, ergo tantumdem est, ac si consensus ille non esset physicè liber, si autem non esset physicè liber, utique fieret injuria, ergo etiam nunc. Hinc injuriam faciunt ac restituere tenentur milites aut quicumque alii, qui aliqua accipiunt à rusticis cogente metu, ne alioqui graviora damna patiantur, etiamsi hi etiam scripto testentur se libenter donare, quia re ipsa tantum donant ex metu injusto & ad redimendam majorem vexam injustam, ita *Con. & alii cum Diana p. 6. t. 4. R. 26.*
- 11 §. 7. Consentienti voluntate tantum concomitante: (id est, quæ in actum alterius non influ- it, licet tum adsit & comitetur, quando ab altero ponitur actio de se iniuriosa: ) fit injuria, uti communior tenet cum *Maur. de Just. q. 186. à n. 17. contra Molin., v. g. Titius aureum subducit Caio inscio, qui Caius re ipsa tum habet hunc consensum, ut velit Titii esse istum aureum, de hoc autem consensu Caji nihil scit Titius, sed subducit ita comparatus, ut quamvis sciret Cajum non consentire, adhuc subduceret, in hoc casu Titius facit Cajo injuriam, quia hic consensus concomitans Caji non est efficaciter effective cessivus juris, nam non vult, ut Titius habeat aureum in sensu composito volitionis, quâ Titius dicit, etiam Cajo non consentiente volo habere*

bere aureum, sed tantum vult, ut habeat ex consensu suo saltem tacito, ergo voluntas Caji non est hic & nunc efficaciter effectivè cessiva juris. *Nec obstat*, quòd in Jure dicatur eum non esse furem, qui aliquid aufert animo furandi, putans dominum esse invitum, cum tamen invitus non sit, nam talis non est fur in foro externo & juridicè, est tamen fur pro foro conscientia & theologicè: quod magis valet, si Cajus dominus optet, ut Titius famulus sibi subducat aureum, ut sic deprehensus puniatur, re ipsa enim, quamvis Cajus velit aureum venire ad Titium, tamen non vult jus ad ipsum venire. Ratio horum ulterior est, quia Titius non potest absq; injuria accipere aureum, nisi ex præsumpta saltem Caji licentia, hanc autem non habet, nisi acceptet, ergo si aureum accipiat ita independentè à voluntate Caji, licet hæc voluntas Caji existat, non tollitur ratio injuriæ.

§. 8. Tortores fecerunt iniuriam Christo & 12 Martyribus, quamvis Christus & Martyres voluerint pati, nam imprimis nolebant cedere jure ad negationem tormentorum, nec volebant deobligare illos à non inferendis tormentis, cum pati voluerint injuriam à malitia illorum, quam permittebant: deinde quamvis consensissent, hi tamen consensus erant tantum concomitantes, quia illi volebant inferre tormenta, quamvis hi non consensissent, ergo quamvis hi consensissent, non ideo illi liberabantur ab injuria, uti antè dictum est. Videri potest *Lugo de Incarn. d. 3. sect. 6. fuse & doctè differens de hoc puncto.*

§. 9. *Objicitur* 1. Acceptatio legis faventis est 13 de essentia legis, ergo si Clericus nolit legem sibi amplius favere, non retinebit jus ad negationem

percussionis, ergo neque illi fiet iniuria: & idem est de adultero, de volente occidi &c. R: Si nolit legem sibi favere, nolitione moraliter validâ & effectivè cessivâ illius favoris, c: , si nolit nolitione moraliter nullâ & inefficaciter cessivâ illius favoris, n. conseq: , jam verò hoc ipso quòd statum clericalem acceptarit, acceptavit hunc favorem, & supposito quòd vivat conformiter statui clericali acceptato, non potest eundem favorem dimittere, uti antè dictum est.

*Instab.* Invito beneficium non datur, uti habetur Reg. 9 6. ff. De divers. Reg. Juris. R: Si beneficium fiat præcisè in favorem illius, qui est invitatus, transeat, si in favorem aliorum, quibus simul prodest, n. aff., sic autem fit in allatis casibus.

14 *Obj.* 2. Iniuria debet physicè invito fieri, importat enim actionem contra voluntatem injuriati, ergo si quis consentiat, non fiet ei iniuria. R: Iniuria strictissimè sumpta & in sensu vulgi, prout ordinariè fit, importat hoc, c. sumpta non strictissimè, attamen propriè, & sicuti fieri potest, n. patetque ex Cap: *Contingit*, relato. n. 6: Neque iniuria definitur per hoc, quòd fiat altero invito, sed quòd fiat contra ius alterius, quod potest ipsi manere, quamvis velit abdicare, uti etiam antè ostensum est; unde quando *Arist.* dicit iniuriam fieri præter voluntatem injuriati, loquitur de iniuria strictissimè & prout ordinariè fit.

*Inst.* 1. Subditus non potest esse inobediens, si Superior reipsa consentiat, ergo nec aliquis injustus, si consentiat alter. R: N. antec., nam si Episcopus prohibuerit hoc die laborem, & Papa antecederet irritet omnem relaxationem, quam posset dare Episcopus, licet Episcopus con-

con-

consentiat, ut hoc die labores, eris illi inobediens, quia ages contra legitimam eius prohibitionem semel positam, nec validè revocatam.

*Inst. 2.* Injuria debet habere rationem passionis respectu injuriati, ergo debet venire ab extrinseco, ita ut injuriatus sit invitus, si enim velit, veniet ab intrinseco, nam ipse activè concurret ad sui iniuriam. *R.* Debet habere rationem passionis, hoc sensu, quòd jus injuriati debeat pati læsionem immediatè ab aliquo alio, c, illo sensu, quòd patiens læsionem sui iuris non possit etiam activè concurrere ad illam, saltem mediatè, n. antec. & conseq., nam hoc casu est mediatè agens, in quantum consentiendo alterum movet ad faciendam sibi iniuriam, patiens autem est, non immediatè à seipso, quia nemo sibi ipsi facit iniuriam defectu alteritatis, cum justitia & iniustitia necessariò sint ad alterum, teste *S. Th. 2. 2. q. 59. a. 3. ad 2.*, sed ab altero, quem ad faciendam iniuriam movet. Ex dictis:

§. 10. Inferuntur sequentia, 1. Consentiens 15  
in iniuriam suam non potest, saltem ordinariè, petere satisfactionem pro illa, quia consentiendo censetur eam remittere, qui autem remittit, non habet actionem, *L. 24. Cod. De pactis.* 2. Probabilius videtur cum *Haun. n. 125. & Carden. in 2. crisi d. 30. n. 33. contra Less. Lugo, Moyam, Esp. Maurum*, quòd injuriarum sint eiusdem speciei, sive fiant invito sive consentienti, quando hujus consensus est irritus, nam consensus irritus est moraliter non consensus, ergo sive adfit sive non, manet eadem species: maior tamen est malitia, cæteris paribus, si fiat invito, uti rectè *Esp. q. 16.* quod inde colligimus, quia datur causa majoris  
con-

contristationis & faciliùs dissolvendæ amicitix.

16 *Q. 3. An omnis iniusta actio fundet obligationem restitutionis. R. Negative, nam si non sit actio damnosa, non est obligatio restituendi, quamvis possit esse obligatio satisfaciendi pro iniuria: ita S. Th. opusc. 73. c. 20. si aliquis passus sit injuriam & non damnum, illi non est facienda de iure restitutio realis, sed tantummodo secundum genus iniuriæ facienda est emendatio per similem satisfactionem: idem habet. 2. 2. q. 62. a. 6. ad 1. Idem tenent alii communissimè cum Dicast. d. 2. dub. 6. & 7. Hinc si quis internè optet inferre damnum alteri, quamvis peccet contra justitiam, non ideo tenetur restituere, quia re ipsa per hoc non infert damnum; idem est si Judex malevolus proferat in aliquem sententiam, quam putat esse iniustam, si re ipsa justa est; item si rapiam à te vestem, quam puto esse tuam, est autem mea; item si rapiam nummum cupreum putans esse aureum, teneor tantum cupreum restituere, quia in hoc solo damnicavi: item si filius pecuniam pro victu submissam prodegerit lusu, sed non ideo causaverit damnum patri, quia parcius vixit, peccavit quidem etiam contra justitiam, attamen non teneri restituere docet Dicast. d. 9. n. 181., quia non causavit damnum, sed tantum usurpavit ad alium finem invito patre. Quòd si iniuria sit contra honorem, pro eius læsione debetur plerumque satisfactio, uti, postea dicetur. An autem debeat restitutio pro actione damnosa, sed non iniusta nisi propter intentionem internam, dicetur à n. 148.*

17 *Q. 4. An injuria purè damnosa fundet obligationem restituendi. R. Injuria potest fieri, imprimis acci-*

accipiendo aliquid alienum in utilitatem aut commodum suum, & tum non dicitur purè damnificatio, sed est furtum vel rapina; deinde fieri potest nihil accipiendo, sed purè damnificando alterum sine utilitate aut commodo proprio, uti si incendas domum alterius, si aliquem vulneres, si aliquem inducas ad inferendum illi damnum, si illum purè impedias à consecutione boni sibi debiti; hæc enim non sunt propriè acceptio, uti dictum est n. 2. Huc reducit *Burgh. cent. 3. cas. 44.*, si in victu, vestitu, famulatio &c. facias expensas, ob quas scis te reddi impotentem debitis solvendis, etiam si hoc esset necessarium ad statum more aliorum gerendum, quia quamvis nihil accipias à creditoribus, tamen causas illis damnum ita gerendo statum tuum, neque videtur licitum statum suum gerere, nisi quantum fieri potest, salvo aliorum jure, & sine eorum damno, ideoque tenebitur talis paulatim aliquid de statu detrahare. Vide dicenda à n. 380. His suppositis patet obligationem restituendi posse fundari in tali injuria purè damnosa, nam qui sic injustè damnificavit, tenetur damnum reparare & reducere æqualitatem juris, quod læsit.

*Q. 5. Quæ sint universim radices restitutionis. R.* 18

Communiter statuuntur hæc duæ, *res accepta, & injusta acceptio*, possent autem claritatis causâ statui quinque, attamen omnes ad illas duas commodè reducuntur: *Pars 1. probatur, quia S. Thom. 2. 2. q. 62. a. 6.*, quem sequuntur Theologi omnes, teste *Haun. t. 2. n. 140.*, statuit has duas, unde propter Auctoritatem standum est illo numero: Tum autem tenetur aliquis ex re accepta restituere, quando sine peccato aliquid alienum  
habet

habet, vel in se vel in æquivalenti, uti si habeas rem alienam, quam putas esse tuam, aut si consumpseris loco tuæ, rem alienam habes in æquivalenti, esque ideo factus ditior, uti dicitur n. 141. è contrà tum teneris restituere ex injusta acceptione, quando sciens rem esse alienam eam cum damno alterius usurpasti. *Pars 2.*, probatur, nam pro tertia radice addi posset *injusta damnificatio*, per quam nihil accipitur, uti n. 17. dictum est. Pro quarta addi posset *Contractus* secundùm dicenda n. 176., si enim vendideris Titio equum, quem bonâ fide putabas tuum, erat autem Caji, si Caius hunc equum repetat & evincat, tu teneris Titio de eviçtione, debesque non tantùm restituere pretium equi, sed etiam compensare damnum, quod emerfit, & lucrum, quod cessavit Titio occasione illius venditionis, pretium quidem teneris restituere ex re accepta, sed quod teneris compensare damna & lucra, non oritur ex re accepta, cùm nihil acceperis, quod illis correspondeat, neque ex injusta acceptione vel damnificatione, nam bonâ fide processisti, ergo ex contractu, quia nempe ad hoc se obligat vendens pro securitate ementis: Et sic potest ancilla contrahere de reparando damno sine culpa dato; item commodatarius de restituenda re commodata, licet sine culpa apud se periret; aliud etiam exemplum datum est p. 1. n. 977. ex *Cardena*. Pro quinta radice poni posset *lex positiva*, si enim tuum animal occiderit meum, Jus in certis casibus statuit teneri te ad restitutionem damni, quamvis nec sit res accepta, nec injusta acceptio vel damnificatio, nec contractus; de talibus autem legibus dicitur n. 171. *Pars 3.* etiam probatur,

*Viva de Cardena*. Pro quinta radice poni posset *lex positiva*, si enim tuum animal occiderit meum, Jus in certis casibus statuit teneri te ad restitutionem damni, quamvis nec sit res accepta, nec injusta acceptio vel damnificatio, nec contractus; de talibus autem legibus dicitur n. 171. *Pars 3.* etiam probatur,

tur, nam ad obligationem ex iniusta acceptione reduci potest obligatio ex damnificatione iniusta, est enim quædam acceptio vel subtractio rei alienæ, quamvis subtrahenti sit inutilis: ad eandem reduci possunt obligationes restituendi ex contractu & lege positiva, quia in his præsumitur iniusta læsio, aut præcavetur, cum quandoque soleat & sæpe possit intervenire. Ex dictis,

*Colliguntur seq. 1.* Quando obligatio restituendi dicitur oriri, vel ex re accepta vel ex iniusta acceptione, idem est, ac si diceretur oriri ex iniuria vel materiali vel formali, sive ex læsione juris alieni vel materialiter vel formaliter iniusta, unde rectè notat *Esp. de Just. q. 24.* dici posse adæquatè oriri ex acceptione rei alienæ, nempe vel materialiter vel formaliter iniusta. 2. Obligatio restituendi oritur aliquando solùm ex re accepta, uti si bonâ fide habeas librum Titii putans esse tuum, & tum diceris bonæ fidei possessor; aliquando solùm ex iniusta acceptione, si librum Titii non habeas, sed malâ fide combufferis, & tum non es propriè possessor, sed damnificator: aliquando ex re accepta & ex iniusta acceptione, si librum Titii habeas & acceperis vel retineas sciens esse Titii, & tum diceris malæ fidei possessor.

*Q. 6. Quid agendum sit in dubio, an debeat restitui.* R. Hoc resolvetur à n. 462. & à n. 561.



## D V B I V M I I.

*An, qui cooperantur ad damnum alterius,  
teneantur ad restitutionem.*

- 20  
21  
22  
23  
24  
25  
26  
27  
28  
29  
30  
31  
32  
33  
34  
35  
36  
37  
38  
39  
40  
41  
42  
43  
44  
45  
46  
47  
48  
49  
50  
51  
52  
53  
54  
55  
56  
57  
58  
59  
60  
61  
62  
63  
64  
65  
66  
67  
68  
69  
70  
71  
72  
73  
74  
75  
76  
77  
78  
79  
80  
81  
82  
83  
84  
85  
86  
87  
88  
89  
90  
91  
92  
93  
94  
95  
96  
97  
98  
99  
100
- Resp. Tenentur omnes illi, qui quoquo modo sunt causa influens, & efficax damni secuti; ac qui ex officio & obligatione justitiæ obligati cavevere damnum, non caverunt. Ita communiter Doctores. Unde concludunt, teneri ad restitutionem comprehensos seqq: versibus:

*Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus,  
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.*

Patet ex sequentibus Casibus,

- 27  
28  
29  
30  
31  
32  
33  
34  
35  
36  
37  
38  
39  
40  
41  
42  
43  
44  
45  
46  
47  
48  
49  
50  
51  
52  
53  
54  
55  
56  
57  
58  
59  
60  
61  
62  
63  
64  
65  
66  
67  
68  
69  
70  
71  
72  
73  
74  
75  
76  
77  
78  
79  
80  
81  
82  
83  
84  
85  
86  
87  
88  
89  
90  
91  
92  
93  
94  
95  
96  
97  
98  
99  
100
- I. Tenetur ad restitutionem mandans, sive expressè mandet, sive tacitè, dicto nimirum, vel facto; ex quo v.g. famulus colligat, hero gratum fore, si faciat: non autem tenetur, qui ratum tantùm habet opus suo nomine factum; uti nec mandans, si ante executionem mandatum retractet, idque mandatario innotescat: quia tunc non est vera causa. *Mol. Less. l. 2. cap. 13. dub. 3. Fill. t. 32. n. 54.*
- II. Tenetur item consulens, aut precibus ac promissionibus ad damnificationem inducens. Quòd si tamen ante executionem consilium suum retractet, & quantum potest, contrarium suadeat, etsi non persuadeat, probabile est excusari à restitutione; maximè si eum, cui damnum paratur, moneat, ut caveat, *Vide Bon.*

¶ Tann. 2. 2. d. 4. q. 6. dub. 14. Sa V. Consilium &c.  
Dian. p. 2. t. 16. R. 15. & p. 3. t. 5. R. 83.

III. Tenetur item, qui suo consensu, calculo,  
vel suffragio, est causa efficax damni. Less. n. 23.  
Fill. c. 3.

IV. Item palpo, ut qui laude, adulatione, vel  
exprobratione ignavia, aliterve alium ad da-  
mnum inferendum excitat, animat. Less. Fill. l. c.

V. Item qui inferenti damnum præbet recur-  
sum, illum receptat, illius furta aut instrumenta  
occultat, vel ea emendo rapinas fovet, &c. Ib.  
Hi enim omnes, uti & is, cui res furtivæ traditæ  
sunt in custodiam, tenentur (non manifestato  
fure) restituere domino. Et sic peccare eos, qui  
à sartoribus emunt fragmenta panni, seu vesti-  
um, docet Villalo. apud Dian. p. 4. t. 4. R. 176.  
licet ibid. Sanch. excuset eos, qui ista emunt à sar-  
toribus magistris, eò quòd his plerumque de-  
trahatur plus à justa mercede quàm mereantur  
ista fragmenta, ideoque licitè ea retineant. Ne-  
que hic à peccato excusari caupones, qui à filiis  
familias acceptant pecunias, aliasve res paren-  
tibus surreptas, notat Laym. l. 3. t. 2. c. 5. Bo-  
nac. &c. Qui verò post delictum ipsum, reum ju-  
vat ad fugiendum (non concurrente ad deli-  
ctum) non tenetur restituere, modò non det illi  
spem refugii imposterum, tum quia non est cau-  
sa damni, tum quia reo licet fugere, ut infrà di-  
cetur. l. 4. c. 3. d. 7. a. 2.

VI. Item participans de præda, aut quoquo-  
modo cooperans, ut agens excubias, applicans  
scalas, parans instrumenta, conficiens literas,  
&c. In bello iniquo tormenta advehens &c.  
Excusantur tamen (modò actio per se non fit  
mala)

Tom. III.

B

mala)

»mala) qui ea non sponte, sed iusto metu coacti  
 »faciunt; v. g. cum rustici furto à solis militibus  
 »facto, coguntur eorum prædas avehere, vel  
 »pecora abigere. *Less. n. 29.*

41.

» VII. Item tenentur causæ, quæ privativè ad  
 »damnum alterius concurrunt; nimirum mu-  
 »tus, sive non clamans, cum potest; aut non ob-  
 »stans; non manifestans; sed tunc tantum,  
 »quando tales ex aliquo pacto, vel officio, vel sti-  
 »pendio, &c. tenentur ex iustitia damnum cave-  
 »re, *S. Thom. 2. 2. q. 62. a. 7.* Sic Princeps, Magi-  
 »stratus, belli Dux, tenentur ad restitutionem da-  
 »mnorum, quæ à feris, latronibus, militibus, ob  
 »ipsorum culpabilem negligentiam dantur. Itè  
 »Consilarii, Canonici, tacentes, absentantes se,  
 »non impediens iniquam constitutionem, vel  
 »electionem. Item tutores, administratores bo-  
 »norum, &c. non impediens damna pupillis,  
 »Minoribus, Ecclesiis provenientia. Item custo-  
 »des montium, vinearum, sylvarum, agrorum,  
 »piscinarum, qui damna non impediunt, vel fa-  
 »cta non manifestant. *Molin. d. 116. Fill. t. 32.*  
 »*cap. 3. q. 12. V. suprâ l. 3. t. 3. cap. 2. d. 4.* Item  
 »Principes & domini Territoriorum, si sciant vi-  
 »as publicas infestari prædonibus, & cum pos-  
 »sint, non impediunt, tenentur mercatoribus &  
 »cæteris viatoribus damna, quæ ab istis accipi-  
 »unt, compensare. *Dian. p. 8. t. 7. R. 38.*

» VIII. Supradicti non tenentur ad restitutio-  
 »nem, quando non fuerunt causa efficax damni;  
 »ut v. g. si fur, homicida, non fuerit efficaciter  
 »motus mandato, consilio alterius, sed nihilo-  
 »minus absolutè erat factururus. Item, si v. g. in  
 »Capitulo alii ante te dederint suffragium, ita ut  
 »videas

videas te nihil impetraturum, etsi neges: tunc enim non teneris restituere; licet pecces, pro qualitate damni, addendo tuum, vel mandando, consulendo, &c. *Bon. l. c.*

IX. Probabile est, non teneri supradictos, si non sit moraliter certum, eorum mandatum, consilium, efficaciter influxisse: quia in dubio melior est conditio possidentis, præsertim circa materiam iustitiæ. *Less. n. 38. Bon. q. 4. p. 2. Diana p. 3. t. 5. R. 84. Tan. 2. 2. d. 4. q. 6. d. 14.*

X. Nec tenentur, si efficaciter tantum concurrant ad circumstantias, & modum actus damnosius; v. g. si quis tantum impellat alium, ut citius, vel animosius, hoc vel illo loco vel modo noceat, *vid. Lay. l. 3. f. 5. t. 2. cap. 5. n. 5.*

XI. Nec tenetur, qui deliberatè volenti inferre magnum damnum suadet, ut minus eidem inferat: quia tunc utiliter alterius negotium gerit. Dico *eidem*: quia non licet impedire damnum unius cum iniuria alterius.

XII. Non tenetur item (contra *Nav. Ang. &c.*) Confessarius, etsi ex officio confessiones audiat, ut Parochus &c. si ex negligentia, vel ignorantia, pœnitentem non moneat aut obliget ad restitutionem: quia etsi ex officio teneatur bene instruere pœnitentem, ideoque peccet graviter omittendo, quando est necessarium; non tamen ad hoc tenetur ex obligatione erga tertium, quasi ex iustitia debeat ejus damnum cavere aut procurare, ut hoc ei compensetur. Secus tamen dicendum videtur, si positivè restitutionem impediat ex malitia, imò etiam ex ignorantia crassa, vel culpa lata, quia tunc consilio suo est causa efficax damni, *vide Less. n. 77. & 78. & Bon. de*

restit. d. 1. q. 2. p. 11. Lay. l. 3. t. 4. c. 7. & infra l.  
 26. t. 4. c. 2. dub. 5. resp. 3.

## A D D E N D A.

- 21 *Q. 7. An movens aut inducens ad damnifican-  
 dum alteri, restituere teneatur.* R. Teneri, hinc  
 Inn. XI. damnavit hanc 39. prop. *Qui alium mo-  
 vet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio,  
 non tenetur ad restitutionem istius damni illati:* No-  
 tatque Carden. in 2. crisi d. 23. n. 130. illum dici  
 movere qui mandat, consilium dat, consentit, a-  
 dulatur, ideoque causa est, quòd inferatur dam-  
 num, de quibus in seqq. dicetur: de illo autem,  
 qui tantum exemplo suo movet ad damnum al-  
 teri inferendum aut cum alio concurrat ad da-  
 mnum, videri possunt dicta p. 1. n. 1009. & seqq.
- 22 *Q. 8. Quid circa mandantem sit addendum.* R.  
 Seqq:
- 23 §. 1. Mandans dicitur ille, qui de facto jubet,  
 quamvis de jure careat potestate jubendi: quòd si  
 potestatem jubendi habeat & innuat se velle au-  
 cupere, ut fiat, censetur jubere, hinc L. 1. ff. *man-  
 dati* dicitur, sive *rogo* sive *volo* sive *mando*, sive alio  
 quocumque verbo scripserit, mandati actio est.
- 24 §. 2. Mandans tenetur etiam ad restitutionem  
 damnorum, quæ causantur mandatario, id est,  
 illi, qui mandatum exequitur, nisi fortè aliter  
 contraxisset cum illo, v. g. ut faceret pro certa  
 mercede, ita cum aliis Laym. lib. 3. t. 2. c. 6. & t.  
 4. c. 26. à n. 3. & c. 27. n. 2. Ratio est, quia man-  
 datarius sub illa conditione suscipiebat executio-  
 nem mandati, ut mandans subiret onus, quia ipse  
 erat tantum instrumentum mandantis.
- 25 §. 3. Si revocatio mandati non innotuit man-  
 data-

datario ; aut si innotuit, sed per errorem judicata est non fuisse feria ; aut si judicata est fuisse quidem feria, sed mandatarius postea invincibiliter illius inmemor damnum executus est, mandans tenetur ad restitutionem, quia tum adhuc damnum verè sequitur ex iniusta actione præterita mandantis, *Luce d. 19. l. 2.*

§. 4. Mandans non tenetur restituere damna, 26  
quæ mandatarius intulit, excedens fines mandati, quando in eius potestate fuit eos fines servare, uti si mandavit tantum vulnerari, & ipse volens occidit, ita *Dicast.* Si tamen mandasset occidi Titium, & mandatarius per errorem occideret Caium mandans teneretur ad damna ex morte Caji, quia ex ipsius mandato sequerentur, *Suar. alii- que cum Dian. p. 8. t. 7. R. 33. & p. 11. t. 6. R. 19.*

Q. 9. Quid circa consulentem: R. §. 1. Confu- 27  
lens etiam intelligitur ille, qui rogat, hortatur, ostendit modum, quo fiat, suggerit motivum faciendi, promittit aliquid, ut fiat.

§. 2. Si quis dedit simplex consilium, vel nu- 28  
dè rogavit aut quasi imperando auctor fuit, ut inferretur damnum alteri, non suggerendo modum, quo fieret, nec motivum inferendi, si ille consilium illud suum revocarit ante damnum illatum, non tenebitur ad restitutionem, quia si revocetur, non perseverat moraliter in ordine ad influendum in tale damnum: è contrà si suggererit modum, quo damnum nunc inferri posset, aut motivum, quod movere pergat, aut si dederit consilium utile illi, qui damnum erat illaturus, quamvis ante damnum illatum conatus sit consilium suum revocare, tamen tenetur restituere, etiam in eo casu, quo alter initio acce-

ptare noluiſſet conſilium, dummodo poſtea motus illo operetur, ita *Lugo*, *Leſſ.* l. 2. c. 13. n. 16. *Carden.* in 2. Crifi d. 23. n. 135. Contra *Nav. Medin. Salon.* & alios, quorum ſententiam *Leſſ.* dicit etiam eſſe probabilem. Ratio eſt, quia modus ille aut motivum aut utilitas ſuggeſta pergunt adhuc movere, ergo conſilium manet cauſa efficax damni. Quòd ſi dediſſet conſilium falſum vel inutile, & ante damnum illatum oſtenderit eſſe tale, non tenebitur reſtituere, quia jam deſierat tota ratio motiva, quam habuerat conſilium. Vide dicenda n. 56.

29 §. 3. Conſulens damnum, quod alter conſuluiſſet, tenetur reſtituere, uti dicitur n. 49. Quòd ſi quis non primò moveat alterum, ſed eum jam motum & nihilominus facturum, etiam ſuo conſilio vel aliter moveat, non tenebitur reſtituere, uti cum communi *Leſſ.* n. 4., quia non eſt cauſa efficax damni, hæc enim jam antè poſita erat, neque damnum ſequitur ex vi conſilii ipſius, ſed hoc conſilium eſt tantum quid conſequens.

30 §. 4. Si ſolum tuum conſilium non fuiſſet ita efficax, ut moviſſet, movit tamen ut conjunctum cum aliis, teneris reſtituere, ſive alia conſilia partialia fuiſſent ſine tuo conſilio efficacia ſive non, ita *Lugo* d. 19. n. 8. & 82. Ratio eſt, quia licet ſe ſolo non fuiſſet, tamen reiſa in his circumſtantiis conſilium tuum eſt cauſa efficax damni, uti etiam tum fuiſſet, ſi nullum ex partialibus conſiliis fuiſſet ſe ſolo ſufficiens, ſed tantum conjunctum. Vide dicenda n. 53. & *Mſ.* t. 4. d. 3. n. 176.

31 §. 5. Qui furi parato poſt octo dies furari, ſuadet furari hodie, tenetur reſtituere, quia fur interea potuiſſet impediri vel mutare voluntatem,  
ergo

ergo jam consulens est causa efficax damni quoad substantiam, uti rectè *Molin.* d. 736. n. 3., excusat tamen *Lugo* n. 15., si non suavitè absolūtè furari, sed tantùm circumstantiam temporis, v. g. quia certò prævidebat post octo dies causandum esse majus damnum; & consentit *7lls.* n. 186.

§. 6. An & quomodo peccet contra justitiam, ac consequenter teneatur restituere, qui alteri suadet, ut furetur Petro potiùs quàm Paulo, vel potiùs diviti quàm pauperi, dictũ est l. 2. à n. 225. 32

§. 7. Si fur seriò minans mortem petat sibi ostendi rem alienam, quam vult furari, possum ostendere; nec teneor restituere, quamvis addiderim, *ibi est, accipe*, per hoc enim non sum causa damni, quod illatum fuisset, quamvis non dixissem, ut acciperet, ostendere autem poteram ob metum mortis. Quòd si jubeat sibi ostendi meum, & ego ostendam alterius thesaurum, teneor restituere, quia sum causa damni, fur enim non habebat determinatam voluntatem ad thesaurum alterius. Si dicat, ostende thesaurum Petri, alioquin auferam tuum, possem ostendere thesaurum Petri, quia ad hunc habebat determinatam voluntatem, nec cum tanto damno meo tenebar non ostendere, præsertim cum ostensio haberet se indifferenter, secundùm se; & illà positã tantùm permittam furtum: denique si jubeat ostendi omnẽ thesaurum, possem ostendere alienum celato meo, ita *Less.* in auct. v. *Restit. cal.* 7. 33

Q. 10. Quid circa consentientem & palpantem. Bz. 34

§. 1. Ille hìc dicitur consentiens, cuius consensus requiritur, ut fiat executio injuriæ; palpans autem dicitur, qui adulatur vel laudat, sicque inducit ad faciendam iniuriam tertio.

B 4

§. 2.



- 35 §. 2. Si consentias, antequam sit posita causa efficax damni, quamvis scias illam sine te adhuc ab alio esse ponendam, nihilominus teneris restituere, v. g. tu scis, etiamsi non consentias, electionem iniustam esse faciendam ab aliis, si tu prius consentias, quàm suffragia sufficientia & quidem irrevocabilia sint data, teneris ad damna inde secuta, ita *Lugo d. 19. n. 19. & ratio dabitur n. 49.*
- 36 §. 3. Si adulatio non fit causa damni, sed vel sequatur post damnum, vel tantùm inducat lætitiā in animum damnificantis, non est obligatio ad restitutionem, quia supponitur damnum aliunde causatum; hinc etiam restituere non tenetur, qui rati-habet illud, quod se ignorante est gestum, *Less. Molin. Vasq. Dian. p. 4. t. 4. R. 64.* Si tamen laus vel adulatio esset causa, cur restitutio non fieret, jam causaret obligationem restituendi.
- 37 Q. 11. Quid circa illum, qui dat recursum vel participat. R. §. 1. Qui recipiunt vel præbent recursum injurianti, non tenentur restituere, si per hoc non sint causa damni facti, nec omiffæ restitutionis, nec damni iterum faciendi.
- 38 §. 2. Per participantem intelligitur ille, qui est socius iniustæ acceptionis, ideoque dicitur capere partem illius: de cætero qui de re jam erepta participat, tenetur ex re accepta id solummodo restituere, quod accepit.
- 39 §. 3. Notarius tenetur ad restitutionem, quando conficit instrumentum, ex vi cuius postea petetur usura, quia verè participat & est concausa efficax damni; uti etiam erit, si scribat sententiam apertè iniquam, ex vi cuius facienda sit executio.

§. 4.

§. 4. Si tradas Titio vinum nomine tuo ven- 40  
dendum, sciens Titium admixturum aquam su-  
pra morem licitum, vel venditurum minori  
mensurâ, participas, & teneris ad restitutionem  
damni eumentibus causati, *Sanch. l. 1. c. 7. n. 37. Lu-*  
*go d. 18. n. 84. contra Dian. Ratio est, quia es*  
causa efficax damni, cum tu sis ille, qui vinum  
vendit per Titium velut instrumentum.

Q. 12. Quid de muto, non obstante, non mani- 41  
festante. R. §. 1. Ille hic dicitur mutus, qui an-  
te damnum illatum non monet, non clamat, non  
impedit; ille dicitur non obstans, qui dum fit  
damnum, non defendit, non prohibet, non cu-  
stodit rem; ille dicitur non manifestans, qui post  
damnum non admonet; non revelat: hi omnes,  
si non teneantur ex officio vel contractu vel sti-  
pendio, peccabunt tantum contra charitatem, si  
omittant, quando sine incommodo possent.

§. 2. Si Princeps hic addicat fisco merces Hol- 42  
landorum, qui vicissim fisco addicant merces Ti-  
tii huiusmodi existentes in Hollandia, fieri potest, ut  
teneatur compensare damna, nam si hoc fecit  
præcipitanter non tentatâ prius amicâ compofi-  
tione, aut si illam confiscationem ita occultè fe-  
cit, ut rescire non potuerit Titius & sibi cavere,  
est causa iniusta damni, quia non præmonuit,  
*Less. in auct. V. Restit. cas. 14.*

§. 3. Si scias alium velle tuo nomine damnum 43  
inferre & non prohibeas, teneris restituere, si  
alter sciebat suam voluntatem tibi esse notam,  
nec illi contradicis, illa enim taciturnitas est ap-  
probatio, per quam damnificatio promovetur,  
*Rebel. Dian. p. 4. t. 4. R. 64. & alii cum Ills. t. 4. d.*  
*3. n. 180.*

- 44 §. 4. Si Sempronius pravo animo , sed sine vi vel fraude impediatur Titium volentem impedire damnum Caji, peccat quidem Sempronius, sed non tenetur ad restitutionem faciendam Cajo, quia non plus tenetur , quam teneretur Titius, si malitiosè permisset damnum Caji, sed Titius non ideo teneretur ad restitutionem, quia non peccasset contra iustitiam sed tantum contra charitatem , ergo : ita *Mol. d. 735. n. 4. Less. l. 2. c. 13. n. 56. Lugo d. 19. n. 101. contra Nav. & Medin.*
- 45 §. 5. Si fur, ut tu taceas, donet tibi partem rei furtivæ, teneris hanc restituere , quia non erat furis, sed eius, cui furatus est : si autem donet aliquid de suo , non teneris restituere illi , cui furatus est, quia sine iniustitia potuisti tacere, uti suppono ; nec teneris furi restituere , quia turpe lucrum post opus impletum retineri potest , uti dicitur n. 289. docetque *Lugo n. 104.*
- 46 §. 6. Si famulus advertat alium famulum vel domesticum furari ex rebus domini & taceat , non tenetur restituere , nisi custodia rei esset ipsi specialiter commissa , uti communiter tenent omnes apud *Lugo n. 105. cum Ills. n. 187.* ; sed si extraneus furetur, probabilius est, si taceat, teneri restituere, quamvis cura rei non sit ipsi specialiter commissa , uti tenent *Nav. Less. Lugo & alii contra Mol. Rebell. Bonac. & alios* ; dicitque idem *Lugo* cum aliis in casu, quo alius famulus vel domesticus furaretur & vellet fugere , quia tum censetur esse velut extraneus ; Ratio autem est, quia sic habet communis persuasio , estque hoc quasi de jure Gentium, inquit *Less. n. 75.* , quod cuivis famulo commissæ sint res sui domini contra injurias externorum.

§. 7.

§. 7. Si Titius in via adverterit prædones, & 47  
 ab occurrentibus interrogatus neget se adver-  
 tisse, ideoque hi quasi securi pergant ac spolien-  
 tur, Titius tenetur hæc damna compensare, quia  
 fuit iniqua horum causa; quamvis enim ex iusti-  
 tia non teneretur manifestare prædones, tamen  
 ex iustitia tenebatur non occultare & non indu-  
 cere alios per mendacium, ut iter prosequeren-  
 tur, quod fecit asserendo nullos prædones esse  
 in via, ita *Sylv. in Ref. Cas. p. 2.v. restitutio cas. 1.*

§. 8. Custodes nemorum, qui non deferunt 48  
 cædentes ligna, venantes contra prohibitionem  
 &c., tenentur compensare damna inde enata do-  
 mino nemoris, ita cum aliis *Lugo d. 37. n. 101.*  
 Ratio est, quia ex officio & iustitia tenentur de-  
 ferre, ad hoc enim sunt conducti; hinc tenentur  
 ea damna primo loco compensare, si illi, qui li-  
 gna cædunt vel venantur, non teneantur resti-  
 tuere, quando nempe leges, quæ ipsis hæc pro-  
 hibent, sunt tantum pœnales. Addit tamen *Lugo*  
*n. 102.* non teneri restituere pœnas, quas domi-  
 ni accepissent ex illis delationibus, eò quòd offi-  
 cium illorum non sit locupletare dominos ex lu-  
 cro pœnarum, sed tantum conservare res sibi  
 commissas, & de hoc plura dicentur à *n. 82.* Quòd  
 si custos nemoris acceperit pretium, ut non ac-  
 cusaret, non tenetur hoc dare domino nemoris,  
 uti rectè *Lugo & Pettsch: pag. 140.*, non enim ap-  
 paret, unde oriretur hæc obligatio: & de hoc vi-  
 deri potest etiam *Dicast. de Restit: d. 6. d. 4.* Itaque  
 satisfacit compensando damna in nemore cau-  
 sata, v. g. si considerabile damnum fit illatum ar-  
 boribus, si feris occisis & deficiente venatione  
 minori pretio elocetur aut vendatur nemus.

Quod

Quod autem dictum est de custodibus nemorum, valet etiam de aliis, v. g. de apparitoribus, qui inveniunt noctu gestantes arma contra prohibitionem poenalem; item de illis, qui permittunt defraudari gabellas & telonia: ad quid autem teneantur, qui per mendacium negant propria delicta aut aliena, vel qui per fraudem dissimulant, aut non condemnant ad poenam lege impositam, sicque fiscum privant ejusmodi multatâ, dicitur à n. 82.

49 Q. 14. *Ad quid teneatur Cajus, qui est quidem causa damni, tamen quamvis ipse non fuisset causa, idem damnum ab alio fuisset causatum.* R. Tenetur ad totum compensandum, ita *Caj. Sor. Mol. Vasq. Less. l. 2. c. 13. n. 2. Lugo d. 19. n. 6. Ills. t. 4. d. 3. n. 177.* aliique contra *Nav. Silv. Palud. & alios.* Ratio est 1. quia est efficax causa damni illati: 2. Si ipse non teneretur, fieri posset, ut nemo teneretur, quia de unoquoque cooperatore potest esse verum, quod si ipse non intulisset, alter intulisset: itaque sicuti quivis alter, qui intulisset, contraxisset obligationem restituendi, ita contraxit Cajus reliquos prævniendo. Rectè tamen notant *Laym. & Burgh. cent. 2. cas. 69.*, eum, qui v. g. tenet scalas, si sine eo subsidio nihilominus à fure illatum fuisset damnum, non teneri ad restitutionem, quia tantum est causa modi, v. g. quod faciliùs vel celerius furaretur.

50 Q. 15. *Ad quid teneatur, qui est causa damni, non totius, sed tantum majoris.* R. Tenetur restituere illum tantum excessum, cujus est causa, v. g. qui alicui causaturo damnum 10. aureorum, auctor est, ut causet damnum 15. aureorum, tenetur tantum hos quinque restituere, quia non fuit causa

causa efficax totius damni , sed tantum damni horum quinque , quod erat divisibile à damno reliquorum, ita *Mol. d. 736. n. 2. Bonac. de Restit. d. 1. q. 2. p. 7. Less. n. 6. Lugo n. 4.*

*Q. 16. Ad quid teneatur Confessarius temere deobligans poenitentem à restitutione. R. Hoc resolvetur de Poenit. c. 2. dub. 6.* 51

*Q. 17. An etiam ille teneatur restituere, qui dubitat, an efficaciter sit cooperatus damno. R. Hoc dicendum n. 574.*

## D V B I V M III.

*An supradicti teneantur singuli restituere in solidum, & quo ordine.*

**R** Esp. Cùm plures damnificantes, vel seorsim<sup>52</sup> singuli rem suam agere possint, vel conjunctim, atque alii aliis plus minusve in damnum influere, hinc ex tali ordine & mensura influxus ordo & mensura restitutionis desumenda est. Ita comm. Doct. Unde resolves,

I. Si plures absque consensu, quisque per seorsim, & casu concurrant ad damnum, singuli non plus tenentur restituere, quàm quod quisque per se damni intulit. *Lay. l. 3. tr. 2. c. 6.*

II. Si plures cum consensu, & invicem juvantes, id fecerunt, singuli in solidum tenentur restituere totum damnum, quia singuli sunt causa totius damni, cùm unus juvet alterum, & procedat ex confidentia, quam habet in auxilio aliorum: Unde si unus eorum restitutionem fecit, potest à reliquis, nimirum à principali totum;

»tum; aut si is nolit, à reliquis, pro rata singulo-  
 »rum, repetere. *Bonac. de rest. d. 1. q. 2. p. 11. ex*  
 »*Vasqu. Molin. Fill. &c.*

» III. Quòd si actio damnificans fuit lucrativa,  
 » & apud aliquem ex cooperatoribus res ablata  
 » adhuc existat, aut is eam malâ fide absumpsit,  
 » tenetur is primo loco restituere ipsam, vel æ-  
 » quivalens; & si ille non faciat, reliqui. *Less. l. 2.*  
 » *c. 13. d. 5.*

» IV. Si actio damnificans non fuit lucrativa,  
 » ut quia res perit & destructa est, ut fit; v. g. in  
 » combustione, mutilatione, detractioe, tunc  
 » ante alios primò tenetur restituere, qui manda-  
 » vit, vel qui causa fuit primaria, vel executor pri-  
 » marius; ut in bello, Princeps, & Dux: & si is non  
 » fit facturus, ut quia non vult, vel quia non po-  
 » test, tenentur reliqui, v. g. ceteri milites. Quòd  
 » etsi de militibus speculative verum fit, practice  
 » tamen ii excusantur per accidens, tum quia non  
 » possunt totum restituere: tum quia domino-  
 » rum voluntas non est, nec expectatio, ut plus  
 » restituant, quàm partem suam; ideoque si hanc  
 » possunt, ad id tenentur, uti & si quid adhuc reli-  
 » quum habent ex iniquo. *Laym. n. 5. ex Cajet.*  
 » *Mol. &c. Imò Bon. p. 10. nu. 13. ex Navar. c. 17.*  
 » *Vasq. & Less. n. 37. dicit militem gregarium, qui*  
 » alios non induxit, non teneri ad restitutionem  
 » totius damni illati à toto exercitu, sed tantum  
 » pro sua parte. V. *suprà t. 4. c. 1. d. 5. a. 3.*

» V. Si damnum passus condonet restitutionem  
 » principali damnificanti; etiam minùs principa-  
 » les liberantur; non autem vice versâ: quia ru-  
 » ente principali, ruit accessorium, non contrâ,  
 » *Lay. l. c.*

A D.

## A D D E N D A.

Q. 18. Si singuli non fuerint causa sufficiens ad totum damnum, v. g. ad spoliandum viatorem, & tamen simul sumpti fuerint causa, an singuli obligentur ad reparandum totum damnum. R. Tres sunt sententiarum, 1. est *Caj. Sot. Med. Mol. Covarr. Lay. Less. Tann.*, qui absolute affirmant, quia singuli influunt in totum damnum, uti insinuatum est n. 30. 2. Est *Nav. Silv. Adri. & aliorum*, qui absolute negant, quia singuli sunt causa tantum partialis damni, partialitate causæ; & quamvis singuli influant in totum damnum, tamen non influunt totaliter, id est, damnum non habet totum suum esse à singulis tanquam causis seorsim sufficientibus ad ipsum totum ponendum. 3. *Rebell. Lugo d. 19. n. 82. & aliorum*, qui melius sic distinguunt; si singuli moveant alios ad ponendum damnum, aut si singulis non concurrentibus damnum non poneretur, singuli tenentur ad totum, quia re ipsa tum sunt causa moraliter adæquata totius damni, singuli enim potuissent & debuissent impedire, non dando suum concursum: è contrà si singuli non movent alios, & singulorum concursu sublato adhuc fieret totum damnum, singuli non tenebuntur ad totum, sed tantum ad partem, quia singuli non posuerunt nequidem moraliter vim causativam totius damni, nec illud poterant, aut saltem non tenebantur impedire.

Q. 19. Quæ regula servare possint pro cognoscendo ordine servando in restitutione. R. Sequentes, quas AA tradunt cum *Lugo d. 19. f. 4.*

1. Ille tenetur prior, apud quem existit res vel



in se vel æquivalenter, si nempe inde factus sit di-  
tior, quia hic tenetur non tantum ex iniusta ac-  
ceptione, sed etiam ex re accepta, qui titulus est  
major, cum jus Domini constanter adhæreat rei

55 2. Si non detur causa principalis physica da-  
mni sed tantum moralis principalis, v. g. si unus  
mandavit pluribus, ut damnum inferrent, tene-  
tur prius causa moralis, id est, mandans, causa  
autem instrumentales, sive physicae sive morales  
non tenentur, nisi in defectu principalis, & non  
tenentur æquè primò ad partem, uti vult *Nav.*  
& probabile putat *Less.* Ratio est, quia qui, v. g.  
mandat, vult rem nomine suo fieri, ergo totum  
onus, quod sequi posset, in se suscipit: quod ve-  
rum est, inquit *Lugo* contra *Vasq.* & *Turr.*, quam-  
vis causa mandans non sit Superior, dummodo  
causa exequens moveatur solo illius jussu, nam  
simul moveretur proprio aliquo motivo, etiam  
videri posset partialiter principalis, & conse-  
quenter teneretur æquè primò ad partem damni  
secundum modum, quo influeret hoc motivum

56 3. Quando consilium est utile soli consultori  
ipse tenetur primò, executor autem in defectu:  
est utile soli executori, executor tenetur primò  
consultor in defectu: si est utile utrique, uterque  
tenetur æquè primò pro rata, in solidum verò te-  
nentur singuli in defectu alterius, *Less.* l. 2. c. 10  
n. 41. *Lugo* d. 13. n. 9. *Nec obstat*, quòd L. 2. ff.  
*Mandati* dicatur, *Nemo ex consilio obligatur*, et-  
iam si non expediat ei, cui dabatur, quia liberum est  
cuique apud se explorare, an expediat sibi consilium,  
nam *R.* Id pro foro externo esse, in quo non  
præsumitur mala fides; deinde non tenetur illi,  
cui consuluit, si ideo patiatur damnum, quia

hic

hic consensit, alter autem non consensit, ergo si illi fuit malâ fide causa damni per consilium externum, tenetur reparare, uti dictum.

4. Si executor nomine suo & aliorum executus est damnum, quâ executor tenetur secundo loco, sed quâ nomine suo operans tenetur æquè primò, hinc omnes tenentur æquè primò, quia illorum causâ factum est, & illi consentiendo ut fieret, tacitè in se receperunt obligationem, *Less: c. 13. n. 47. Lugo d. 19. n. 136. 137.*

5. Si plures causæ fuerint æquè principales, illa priùs tenetur ad totum, quæ solo nomine suo fuit exequens, v. g. commune consilium est de furto faciendo, sed à solo Caio committitur, furante sibi, & non aliis; item plures aggreduuntur Titium, ut eum occidant, sed solus Caius infert ictum, in utroque casu Caius primus tenetur, quia exequendo influxit plùs nomine suo quàm alii, qui ipso restituente ad nihil tenebuntur, *Vasq: Mol. Less: Lugo n. 125. & 139. contra Cai: Bann: Sor: & alios dicentes cæteros æquè primò teneri ad partem.*

6. Post causam principalem tenetur executiva, quamvis egerit nomine alieno, quia immediatius & per se attingit damnum, unde causa exequens priùs tenetur, quàm subministrans instrumenta physica, v. g. exequens furtum priùs tenetur quàm applicans scalas.

7. Si suadens per culpabilem ignorantiam vel per fraudem induxit causam executivam iniustitiæ ignaram, uti si Consiliarius induxit ita Principem ad injusta tributa vel ad iniustum bellum, hic suadens tenetur prior, quia iniusta damnificatio non fuit exequenti sed soli suadenti moraliter voluntaria.

C

8. Si

Tom. III.

- 61 8. Si Caius suaserit Titio, ut peteret à Sempronio fieri furtum, si Sempronius furetur, Sempronius prior tenetur, quia est exequens; post hunc Titius, quia immediatius influxit movendo Sempronium; ultimo loco tenetur Cajus.
- 62 9. Si plures communi consilio aliquid auferant, quilibet primo loco tenetur ad id restituendum, quod abstulit, & secundo loco ad id, quod socius abstulit, quia etiam hujus damni causa fuit.
- 63 10. Causæ positivæ tenentur ante causas negativas, quia positivæ procurant vel re ipsa inferunt damnum, negativæ tantum non impediunt deinde negativæ tantum obligabantur facere, ut damnum non inferretur ab aliis, ergo pro initio satisfaciunt, si procurent, quantum in se est, ut reparetur ab aliis, ideoque damnificatus non habet jus primò petendi reparationem ab his, sed a causis positivis, *Vasq. Less. Laym. Lug. Haun.* Quia autem ordo servari debeat inter causas negativas, videri potest *Lugo* à n. 134. *Ills. t. 4. d. 3. n. 189.* putat nullum inter eas servandum esse ordinem, fatetur tamen unam obligari ad majorem partem, prout major fuerit cooperatio.
- 64 11. Causæ positivæ secundariæ, id est, consilens, consentiens, laudans, receptans, participans, tenentur æquè primò, plùs tamen vel minùs pro majori vel minori influxu, *Mol. Vasq. Less. Lugo* & alii: Ratio est, quia una harum non agit nomine alterius, nec una alteri subordinatur, ut suppono, ergo non apparet, cur una debeat præferri alteri: aliud est de mandante, cui reliquæ deservientes & ex vi mandati operantes subordinantur, hinc mandans dicitur causa principalis moralis.

12. Si causa principalis vel prius obligata re- 65  
stituerit, causæ minùs principales vel posteriùs  
obligatæ ad nihil tenentur, uti habet communis  
cum *7lls*: n. 188. contra *P. Nav.*, qui putat reli-  
quas teneri ad partem causæ principali refun-  
dendam: Ratio nostra est, quia hæ tantùm tenen-  
tur in defectu priorum: è contrà si causæ minùs  
principales vel posteriùs obligatæ restituerint,  
causa principalis vel prius obligata tenetur his  
refundere, quia hæc absolutè obligabatur, hinc si  
causa secundaria hoc onus subeat, acquirit jus,  
quod dominus rei habebat contra causam pri-  
mariam.

13. Quando plures tenentur æqualiter resti- 66  
tuere, uti si decem suo consilio æqualiter influ-  
xerint in damnum centum aureorum, si unus to-  
tum restituerit, reliqui tenentur huic uni suas  
portiones, id est, decem refundere, quia singuli  
tenebantur tantùm in defectu aliorum, nulli au-  
tem licebat deficere à restitutione, neque tamen  
tenebantur singuli dare totum, alioquin plus re-  
stitueretur, quàm esset ablatum, ergo tenebantur  
suam portionem, id est, decem conferre, conse-  
quenter si unus solverit centum pro omnibus,  
acquisivit jus in portiones seu in decem, quos te-  
nebantur singuli conferre.

14. Si unus ex illis, qui æqualiter fuerant causa 67  
damni simul, ideoque æqualiter obligabantur,  
nollet aut jam non posset suam partem restituere,  
reliqui tenerentur hanc partem ferre æquali  
inter ipsos divisione factâ; retinerent tamen jus  
contra illum, qui noluisse vel tum non potuisset  
restituere.

## D V B I V M I V.

*An teneatur restituere, qui alium impedit à consecutione alicuius boni.*

- 68 " Resp. Attendendum, an lædatur ius alicujus  
 " quod à natura, lege, vel aliter habeat; an per vim  
 " fraudem, calumniam, & mendacia quis alium  
 " impedierit; num verò aliter. Inde enim apud  
 " Laym. l. 3. t. 2. c. 7. & Bonac: d. 1. q. 2. p. 12. re-  
 " solvuntur seq: Caf:
- " I. Qui alterum impedit à consecutione re-  
 " debitæ ex justitia, tenetur ad restitutionem. *Leff.*  
 " l. 2. c. 12. n. 122. *Fil. t. 32. n. 72.*
- " II. Si res non erat debita ex justitia, sed con-  
 " ferenda ex libera voluntate, tum qui sine vi  
 " fraude, & calumnia collatorem inducit, ut v. g.  
 " officium, vel legatum, beneficium Ecclesiasti-  
 " cum, & similia dona gratuita non conferat, cum  
 " apud se constituerat, aut qui petierat, sed vel  
 " nulli, vel alteri etiam minus digno, etsi sæpe  
 " possit graviter peccare, præsertim si id ex odio,  
 " vel alio malo fine faciat; non tamen tenetur ad  
 " restitutionem. *Azor 3. p. l. 4. c. 9. Vasq. Sa, Bon. p. 12.*
- " III. Si in re prædicta ex libera voluntate con-  
 " ferenda, aliquis per vim, fraudem, vel calumni-  
 " am, collatorem induceret, ne ei daret, aut eum  
 " à petitione (cùm quis habeat jus petendi) aut  
 " à consecutione talis rei, per vim, fraudem, ca-  
 " lumniam, vel mendacium impediret (cùm etiã  
 " quis jus habeat, ne iniquè impediatur) is tene-  
 " retur ad compensationem damni arbitrio viri  
 " pru-

pendentis, juxta certitudinem, vel pröbabilitatem, quä alter tale bonum alioqui affecuturus fuisse existimaretur: dummodo tamen eo fit dignus; nam si indignus est, non tenetur ad restitutionem, nisi famæ, si eam fortè læserit. *Less. d. 18. Molin. to. 1. d. 135. Sa, V. Restitutio, n. 21. Vi-*  
*de Bon. l. c.*

## A D D E N D A.

*Q. 20. Quæ sint hic regulæ generales. R. Sanch. 69*  
 in Conf. l. 2. c. 1. d. 49. à n. 9. ponit has duas, 1: Qui impedit alium ab affecutione boni, ad quod habebat jus quæsitum in re vel ad rem, tenetur compensare damnum, quamvis fecerit sine vi, fraude, detractione, mendacio, & quamvis ex parte modi impediendi nulla adfuerit injustitia, uti si fecerit solä suasionem vel precibus; ita tenent omnes, & ratio est, quia fuit causa efficax, cur alter non haberet id, quod suum erat vel sibi debebatur. 2. Qui impedit alium ab affecutione boni, ad quod non habet jus nec in re nec ad rem, ad nihil tenetur, nisi ex parte modi impediendi adfit externa iniustitia, sive, nisi impediat vi, fraude, detractione vel mendacio: Ratio primæ partis est, quia nulla injuria fit, si enim principalis, negans tale bonum, ad nihil tenetur, neque tenetur, per se loquendo, impediens: *Nec obstat*, quod fortè impediat ex intentione damnificandi alterum, nam postea n. 148. ostendemus non ideo incurri obligationem restituendi. Ratio secundæ partis est, quia per ista fit injuria, non tantum illi, qui facturus erat beneficium, eò quod invitatus inducatur vel cogatur non dare, sed etiam illi, qui erat accepturus, quia habebat jus, ne sic iniquè impediretur voluntas benefactori. Ex his deducemus aliqua:

C 3

§. 1.

- 70 §. 1. Qui Caium per mendacium impedivit, ne Titio daret eleemosynam, dicendo eum non esse pauperem vel esse indignum, cum tamen sit pauper & dignus, tenetur restituere pauperi, quia licet jus absolutum non habuerit ad eleemosynam, tamen habebat jus conditionatum habendi illam, si Caius dare vellet; & habebat jus absolutum, ne sic iniquè impediretur, hoc autem jus damnosè violatum est, ergo debet is, qui violavit, damnum reparare, *Sanch. n. 27.*
- 71 §. 2. Si Caio traditi sint aurei centum distribuendi decem pauperibus studiosis cum proportione ad cuiusq; meritum, ut nempe dignior plus accipiat quàm minus dignus, si Caius hos distribuatur, non secundum meritum sed secundum affectum, facit iniuriam & tenetur restituere dignioribus, ita *S. Th. 2. 2. q. 62. a. 1. ad 3. Lugo d. 1. n. 49. Burgh. cent. 2. cas. 85. contra Tann.*, Ratio est, quia digniores ex voluntate domini ita statuentis acquisiverant jus strictum ad talem portionem, & illa proportionalis distributio erat illorum juri debita.
- 72 §. 3. Si bono zelo impediatur donationem peccaminosè faciendam alteri, ad nihil teneris, quia justè impedis peccatum proximi: si malo zelo impediatur donationem injustam, v. g. rei furtivæ, etiam ad nihil teneris, quia licet vi vel fraude impediatur, non peccares contra iustitiam, cum non sit jus dandi vel acceptandi: si autem malo zelo impediatur donationem, illicitam quidem, attamè non iniustam, uti si donare vellet ex fine simoniæ utrimque cognitæ, etiam ad nihil teneris, etiam si vi impediatur, dummodo vis non excedat modum, quia non est contra iustitiam facere, ut non detur vel recipiatur, quod sine peccato absolute dari

dari & recipi non potest: videri potest *Tamb.* l. 8.

l. 3. c. 3. §. 3.

§. 4. Qui iniquè alium impedit, ne testamen- 73  
tum condatur, v.g. faciendo ut emanet Notarius;  
aut si falsum narret, ex quo alter moveatur ad re-  
vocandum testamentum vel legatum vel dona-  
tionem, ut sic ipse vel alius commodum repor-  
tet, tenetur ad damna illis reparanda, ob ratio-  
nem sæpius datam, *Sanch.* suprà, *Lugo* d. 18. n. 91.  
& d. 37. n. 108.

§. 5. Religiosus, qui sine fraude & mendacio 74  
suadet testatori, ut potius suo Monasterio vel Re-  
ligiosis legata relinquat, quàm Matrìci Ecclesiæ,  
peccat graviter contra *Clement.* 1. de privil. apud  
*Sanch.* n. 28., ubi in virtute S. obedientiæ & sub  
interminatione mortis æternæ prohibentur id  
facere Religiosi, ne pax violetur inter Clericos &  
Religiosos: non tenetur tamen ad restitutionem  
faciendam vel procurandam, uti probabiliùs te-  
nent *Sanch.* & *Lugo* d. 18. n. 95. contra *Molin.*,  
quia Ecclesiæ nullum ius in re vel ad rem erat  
quæsitum, nec peccatum est nisi contra obedi-  
entiam debitam Pontifici, qui non præcipit repara-  
tionem damni: imò *Sanch.* putat Religiosum non  
peccaturum, si id faceret bono zelo, sciens esse  
majorem utilitatem testantis, & non peteret re-  
linqui sibi vel amicis.

§. 6. Qui alterum impedit à consecutione bo- 75  
ni, revelando occultum, attamen verum crimen,  
peccat graviter, non tantùm contra famam, sed  
etiam contra jus, quod habebat, ne iniquè per il-  
lam detractionem impediretur, hinc qui detra-  
xit, tenetur reparare famam & compensare hoc  
damnum alterius boni impediti.

C 4

§. 7.



76 §. 7. Si quis per effractionem litterarum alienarum causa fuit, ut alter non obtineret aliquod bonum, tenetur restituere; & idem est, si detinuerit litteras alienas, quando ex iustitia, officio vel contractu tenebatur tradere, quia effractio vel detentio talis erat graviter injusta, fuitque causa damni, *Lugo* in Resp. Mor. l. 5. d. 10. & de Just. d. 18. n. 104. Si tamen per artificium legit, aut effractus iterum clausit & debito tempore tradiderit, docent *Less.* l. 2. c. 12. n. 131. *Castrop.* de benef. d. 2 p. 11. §. 5. n. 7. *Diana* p. 2. t. 6. R. 33. non teneri restituere, quia tum damnum indirectè & per accidens sequitur ex injusta revelatione secreti, directè autem & per se est ex jure, quod alter habebat ad instandum pro illo bono sibi comparando post obtentam illam notitiam: sed videtur idem dicendum, quod ad casum sequentem, an nempe teneatur restituere, qui promovendo minùs dignum impedit digniorem à consecutione beneficii, de quo dicitur l. 4. n. 591.

77 §. 8. Si Caius mercator accepisset litteras nuntiantes esse inopiam alicujus rei, ideoque Caius coëmisset vel retinisset tales merces, postea carò venditurus, & ut rem celaret, dilacerasset & abjecisset litteras; si Titius hæc fragmenta litterarum collegisset, & ex illis in ordinem redactis id intelligens merces eas sibi aliunde comparasset sicque impedivisset lucrum Caji, *Caiet. Silv. & Castrop.* t. 32. d. 5. p. 35. n. 4. dicunt Titium non teneri ad restitutionem, tum quia fragmenta illa pro derelictis habebantur, tum etiam quia illa notitia per se non est causa damni, sed jus, quod Titius habuit ad emendas illas merces, post-

postquam cognoverat secretum : è contrà *Rebell.* & *Lugo* probabiliùs dicunt teneri , quia Caius per lacerationem fati ostenderat se invitum, ut legerentur literæ , ergo Titius injuriam fecit legendo, ex hac autem videtur proximè secutum esse damnum.

§. 9. Si Cajus aliquo negotio, v. g. invitando 78 ad prandium, occupet procuratorem Titii , ne possit huic aliquod bonum obtinere , Cajus tenetur damnum compensare Titio, si procurator ex officio vel contractu tenebatur tum agere causam Titii , quia Cajus fecit fraudem , per quam est causa damni, ad quod vitandum procurator ex justitia tenebatur : si autem procurator erat voluntarius , & sponte vel ex amicitia volebat servire Titio , & Cajus ita tacitè circumvenit eum ignarum intentionis suæ, adhuc videtur teneri restituere, quia adfuit fraus, nam invitando ad prandium aliud significabat , aliud intendebat , ita *Lugo* d. 18. n. 103. Denique si procuratorem suæ intentionis conscium ita impedivit , ad nihil tenetur , quia deceptus non est , sed liberè abstinuit à procuratione.

§. 10. Si Titius careat aliquâ conditione ad hoc 79 requisitâ, ut possit dare suffragium , & nihilominus det illud Cajo , sicque faciat, ut Sempronius non obtineat aliquid , quod alioqui erat obtenturus, Titius tenetur compensare damnum, quia per fraudem iniquè impedivit ; si tamen solùm deesset aliqua solennitas , v. g. inscriptio in matriculam philosophorum , dummodo habeat omnes substantiales conditiones ad potestatem suffragii requisitas, validè suffragabitur , nec tenebitur restituere , uti fusè *Santh.* in *Conf.* l. 2. c.

1. dub. 52. & 53. Quid autem dicendum sit de illo, qui admittit, v. g. Beneficium non habens qualitatem ad illud requisitam, dicetur l. 4. à n. 734.

80 §. 11. Mercator, qui vi, fraude vel mendacio impedit, ne ad civitatem afferantur aliæ merces, ut ipse carius vendat suas, tenetur non tantum ementibus aut Reip. excessum pretii, sed etiam aliis mercatoribus lucrum cessans restituere, quia est iniusta causa utriusque damni, ita cum aliis *Sanch. d. 39. n. 35.*

81 §. 12. Si Cajus ludimagister aut præceptor discipulos, quotquot potest, ad se trahat, quia putat id discipulis utilius esse, non peccat, licet damnum patiantur alii, quia ad hoc faciendum iustâ causâ movetur; si autem faciat tantum ad utilitatem suam, & discipuli necdum fuerint sub disciplina alterius, etiam non peccat, quia tum sunt vagi, & cuique licitum est utilitatem suam quærere mediis licitis: si autem fuerint sub disciplina, v. g. Titii à quo abstrahat etiam sine vi, fraude vel mendacio, aliqui cum *Sanch. in Conf. L. 1. c. 3. d. 3. n. 5.* docent peccare mortaliter contra charitatem, si Titius inde patiaturnotabile damnum honoris vel lucri, quia habebat quoddam jus ad illos discipulos: præterea *S. Anton. Silv. & Nav.* dicunt Cajum, si abduxit ex odio vel sine iusta causa, teneri damna compensare Titio, sed *Sanch.* dicit, si vis, fraus & mendacium abfuerit, non deberi restitutionem, quia Titius non habebat jus strictum ad illos discipulos, & sicuti poterant sine iniustitia sponte suâ recedere, sic poteris sine iniustitia suadere, hinc *Lugo d. 37. n. 111.* Cajum excusat à mortali, uti

&

& Advocatos, Medicos, Mercatores aliosque similes, qui sine vi, fraude & mendacio, quamvis cum aliorum præiudicio, curant ad se trahere illos, qui alios frequentabant, quia charitas non obligat ad consulendum bono proximi cum magno suo vel amici incommodo.

§. 13. Qui iustè interrogatur, & fraude vel mendacio declinat mulctam imponendam sibi vel aliis ob delictum, secundum multos apud *Dian.* p. 3. t. 6. R. 25. tenetur restituere, quia Fiscus vel Resp. supposito delicto videtur habere jus ad eam mulctam: oppositum tenent *Sanch.* in Dec. l. 2. c. 22. n. 22. & in Conf. l. 2. c. 1. d. 52. *Less.* l. 2. c. 13. n. 73. *Lugo* d. 18. n. 108. & d. 37. n. 110. alique cum *Dian.* supra, tum quia Fiscus ante sententiam non habet jus ad illam poenam, uti notant *Sanch.* d. 49. n. 32. & *Less.* c. 12. n. 136., tum etiam quia fraus illa vel mendacium videtur remotè & per accidens tantum conjungi cum illo damno, directè enim tantum tendit ad damnum à se vel alio avertendum; hinc principium illud, quòd is, qui per fraudem vel mendacium impedit bonum alterius, teneatur reparare damnum, sic intelligunt *Sanch.* & *Lugo* n. 107., quòd verum sit, quando impedimentum fit per actiones proximè conjunctas cum illo damno, tum enim iustitia obligat ad tales actiones omittendas; si autem tantum remotè & per accidens sint conjunctæ, tum iustitia non videtur obligare ad eas omittendas, & ideo docent iidem AA., eos, qui etiam per fraudem impediunt, ne quis accusetur, non teneri restituere mulctam alioqui pendendam, quia quamvis Fiscus fortè habeat jus, ne per fraudem proximè & directè impediatur

tur

tur à tali mulcta consequenda, id tamen non videtur hic fieri, cum intentio impediens non feratur directe & proxime in damnum Fisci, sed in defensionem amici vel occultationem delicti, ex quo per accidens sequitur illud damnum Fisco: atque ex eodem fundamento docent *Beja* p. 1. cas. 58. & *Lugo* n. 119. testes vel Advocatos aliosque similes, qui falso defendunt reum, sicque impediunt, ne mulctetur, non teneri restituere Fisco hanc mulctam, quia fraus tantum indirecte & remote videtur causare hoc damnum: Contradicunt tamen etiam in hoc alii cum *Rebell.*, quorum sententiam vocat communem *Jlls.* t. 4. d. 3. n. 187.

- 83 §. 14. Si procurator fiscalis sit causa, cur Fiscus non accipiat mulctam per leges impositam delicto, *Med. Rebel. Mol.* & alii dicunt teneri restituere, quia ex officio & ex promissione tenetur procurare commoda, & cavere damna Fisci; item tenetur procurare, ut delicta puniantur, ergo hoc negligendo facit injuriam, uti alii non manifestando aliquid, quod ex officio vel contractu manifestare tenentur, secundum dicta n. 48., hinc *Suarez* aliique multi dicunt saltem Judicem teneri restituere mulctam, si hanc reo non imposuit, aut sine causa relaxavit vel imminuit, & hæc sententia videtur valde probabilis: nihilominus quoad utrumque contradicunt *Vasq.* *Tann. Less. Dian. Salas, Lug.* d. 37. n. 112. *Jlls.* t. 1. d. 2. n. 77., dicentes nullum eorum ideo teneri restituere, tum quia eorum officium primario est ad hoc, ut delicta delata non fiant, & secundo tantum ordinatur ad emolumentum Fisci, tum etiam quia eiusmodi mulcta debetur

tan-

tantum ex iustitia vindicativa, non autem commutativa, cuius solius violatio causat obligationem restituendi, uti insinuatum est p. 1. n. 1013. Ad quid teneantur custodes nemorum aliique similes, qui non accusant cædentes ligna aut venantes contra prohibitionem, dictum est n. 48. Ad quid autem teneatur homicida illius, qui aliis bona præstitisset, dicetur postea n. 310.

## D V B I V M V.

*Cui vel quibus restituendum.*

Resp. Attendendum ad naturam iustitiæ, & 84  
 quis damnum patiat, quidve ratio, & leges ferant communiter. *Vide Less. & Laym. l. 3. t. 2. c. 9.*  
*Unde resolves,*

I. Quando bona restituenda, sive debita quæcunque, sunt incerta, hoc est, cum, cui debeantur, ignoras, aut adire non potes, aut illis restituere, tunc si ea habeas sine delicto, ut si inventi, vel à mercatore v. g. per errorem accepti, si duas ulnas panni pro una, & jam is discessit, nec scis, quò abierit, teneris adhibere aliquam diligentiam inquirendi; postquam, si spes non sit sciendi dominum, probabile est, quòd non tenearis ea dare pauperibus, ( licet ita plerique cum *D. Thoma* sentiant, & sit magis pium, ac prætice suadendum) sed possis tibi retinere, ut docet *Petrus Nav.* quem sequitur *Lay. hic & Less. l. 2. c. 14. n. 48.* idque *Dia. p. 1. t. 3. m. R. 5.* dicit esse tutum in praxi. Si verò ea habeas ex delicto, ut furto, usurâ, &c. teneris ea restituere pauperibus,

bus,

bus, vel Ecclesiæ, hospitali, &c. quia debet tunc fieri restitutio meliori modo, quo potest, ut saltem, cum corpori domini non proficit, proficit ejus animæ, dum in pauperes expenditur. Ita communiter Doctores, ut v. apud Lay. hic.

II. Qui multis minutis furtis, v. g. olei, panis, vini, &c. damnum intulit multis civibus, eum teneri restituere, non pauperibus, sed ipsis civibus, ( minoris deinceps vendendo, aut majore mensurâ, donec veniatur ad æqualitatem ) dicit Mol. At Vasq. & Esc. dicunt esse probabile, quod possit dare pauperibus, præsertim civitatis ejusdem.

III. Quando bona sunt certa, ordinariè restitui debent possessori justo, à quo accepta sunt, vel cui damnum illatum; etsi is non sit immediatus dominus: Unde quod acceptum est à depositario, commodatario, conductore, custode, administratore, debet, non domino, sed ipsis restitui, quia alioqui ipsis fieret injuria, si jure possessionis, detentionis, custodiæ, aut utilitatis spoliarentur; & damnum atque lucrum cessans compensari deberet.

IV. Excipitur tamen hinc, 1. Si eorum nihil interesset, ut sine illorum damno, infamia, domino restitueretur. 2. Si probabiliter ipsi putarentur rem absumpturi, vel ablaturi cum injuria domini: quo modo bona Ecclesiæ, non Prælato dissipatori, sed potiùs Capitulo restituenda sunt. Item accepta à filio familias, pupillo, furioso, uxore, Religioso, si sint ex iis bonis, quorum administratio ipsis non competit, plerumque restituenda sunt patri, tutori, marito, Prælato. Sic etiam, si bona alicujus publicata, & fisco ad-

dicta

dicta sint : tunc enim depositum , & similia debita fisco debent reddi.

V. Cùm quis, ignorato domino, cui restituendum erat , non præmissâ aliquâ diligentia, pauperibus distribuit , non satisfecit domino postea comparenti : secus si diligentia sit præmissa, ut *v. Less. n. 43.*

VI. Cùm dominus quidem scitur, sed ei mitti non potest sine sumptu, tunc si res malè accepta est, tenetur restituens aliquas expensas ex se facere; si autem bene accepit , non nisi expensis domini. Quando nullo modo potest mitti, expectandum est ad tempus ; & si adhuc non sit spes, reputatur debitum incertum, *Tol. l. 5. c. 23.*

VII. Cùm quis accepit rem alienam à possessore bonæ fidei, putante rem esse suam , cùm non sit, tum si quidem intervenerit aliquod iustum pactum, ut depositi, commodati, pignoris &c. illi restituendum est , & non domino. Qui tamen ex charitate monendus erit, si id ei profuturum putetur, sine alterius graviore incommodo, infamia, &c. *Vasq. Azor p. 3. lib. 4. c. 3. q. 1.* Si autem aliter accepta est, tunc vero suo domino restitui debet, si eum novisti , & absque incommodo fieri possit.

VIII. Quando à fure, vel alio venditore quis emit, sive malâ, sive bonâ fide rem furtivam, tenetur restituere domino, non furi. Ita communiter *Mol. Regim. tom. 1. l. 10. c. 5. n. 40. Toletus tam. l. 5. c. 17. Sylv. Ant. Mald. in 2. 2. t. 4. c. 3. d. 2.* probabiliter sentiunt, posse reddi furi, ut ab eo pretium suum recuperet: quia non constituit rem pejore loco , quàm antè fuerat, & consequenter ipse non infert Domino damnum.

Quod



Quod *Navar. Trul. l. 7. c. 11. d. 3. n. 4.* admittunt  
 cum hac limitatione, si mox & non post lon-  
 gum tempus, contractum rescindat; vel si cer-  
 to scias furem redditurum rem domino; vel si  
 dominus rei sit mortuus, aut absit, ita ut conve-  
 niri non possit. Quod si autem pretium suum  
 recuperare non possit à venditore, tenetur red-  
 dere domino, & sibi damnum ascribere. Quod  
 si porrò sciens rem esse furtivam, emat eo fine,  
 ut invento vero domino restituat, tunc si emit  
 parvo pretio, tenebitur id ei dominus refunde-  
 re, cum utiliter eius negotium gesserit: secus  
 autem, si pretium esset ferè æquale rei, tunc  
 enim sufficit refundere ad arbitrium viri pru-  
 dentis tantum, quantum videtur meritis rem  
 domini utiliter redimendo, v. *Less. n. 20. Dian.*  
*p. 2. t. 3. R. 5.*

IX. Si bonâ fide rem alienam, v. g. equum e-  
 misti ab altero, v. g. Petro, & vendidisti tertio,  
 v. g. Paulo, & postea cognoscatur esse Joannis,  
 eoque repetente à Paulo, Paulus repetat preti-  
 um à te, existimat quidem probabile *Navar. &*  
*Dia. p. 1. t. 8. R. 68.* non teneri te Paulo id red-  
 dere, (si in nullo factus sis ditior,) sed sufficere, si  
 tuam actionem, quam habes in Petrum, ei ce-  
 das. Verùm *Sotus, Salon. Less. d. 5. Sayr. Bon. de*  
*rest. q. 4. p. 2.* rectiùs docent, teneri te, exigente  
 Paulo, contractum rescindere, & pretium re-  
 stituere, tum quia vendidisti rem vitiosam; tum  
 quia teneris de evictione emptori, nec eum po-  
 tes remittere ad illum, cum quo nihil habet ne-  
 gotii. Quod si tamen Paulus, cum possit, tibi  
 non restituat equum, sed Joanni, & hoc ipso  
 impediatur, quominus pretium tuum possis re-  
 cupe-

perare, nec tu teneris ei pretium ab ipso acceptum restituere. *Bonac. Less. &c. Vide Trull. l. c. c. 11. d. 5.*

*Quæres. I. Cui restituendi, sive dandi sint thesauri, & alia inventa, quæ habentur pro derelictis.*

*Resp.* Quando nullius Domini sunt, jure naturali & gentium fiunt primò occupantis. Potest tamen per consuetudinem, & leges aliter quid ordinari, quod servandum est. De quo *v. Less. l. 2. c. 5. d. 15. Lay. l. 3. t. 1. c. 5.*

*Quæres. II. An & cui restituenda, quæ capiuntur venatione justè prohibita:*

*Resp.* Id æstimandum partim ex jure naturæ, partim ex consuetudine & legibus, ac juribus particularibus, ut *v. apud Lay. t. 3. t. 1. c. 5. n. 14. & Less. d. 8. & 9. & Sa V. Venatio. Ex quibus resolvitur hic Casus:*

Venator iniquus tenetur restituere saltem damna, quæ segetibus fructibusque infert.

### A D D E N D A.

*Q. 21. An restitutio debeat illi, qui in damnum consensit. R.* Si consensit voluntate effectivè & efficaciter cessivâ juris, non debetur restitutio; si autem voluntate affectivè tantùm & ineffaciter cessivâ juris, debetur, uti constat ex dictis à n. 4., ubi rem totam satis declaravimus in exemplis.

*Q. 22. Quid circa res inventas vel derelictas sit ad- dendum. R. §. 1.* Res, quæ inveniuntur, vel nunquam fuerunt sub alicujus dominio, uti gemmæ in littore maris inventæ; & qui tales res invenit, acquirit illarum dominium per primam occupationem, nec tenetur, per se loquendo, cuiquam aliquid inde dare, quia quæ nullius sunt, & alicujus

jus esse possunt, fiunt primò occupantis, §. *ferre*.  
 12. instit: *De rerum divisione*. Dixi, per se loquen-  
 do, nam jus positivum posset aliter disponere.  
 Vel fuerunt alicujus, sed nunc nullius sunt, eò  
 quòd earum dominus aut non existat amplius,  
 neque alius post ipsum dominium acquisiverit;  
 aut si Dominus earum existat, tamen eas non  
 vult amplius esse suas, v. g. si abjecerit, item quia  
 à longo tempore amisit, ideoque deposuit spem  
 & animum recuperandi; & qui tales res invenit,  
 etiam retinere potest, quia re ipsa est nunc primò  
 occupans. Vel denique si adhuc existat ille, cujus  
 fuerunt, qui eas etiam recuperare velit, tamen  
 ab inventore nescitur, quis sit Dominus, & ideo  
 tales res dicuntur bona incerta, de quibus præci-  
 pue est quæstio:

87 §. 2. Inventor rei incertæ tenetur pro reperi-  
 endo domino adhibere diligentiam, majorem  
 aut minorem secundum majus vel minus rei  
 pretium, v. g. si res magni momenti est, secun-  
 dum *Lugo* d. 6. n. 138. tenetur facere, ut aliquo-  
 ties promulgetur è cathedra, ut affigatur scheda  
 publicè id notificans, aut ut imprimatur in no-  
 vellis publicis: si autem minoris pretii est, ut  
 promulgetur, v. g. per scholas, in tribu, aut ubi  
 convenit frequentia hominum, & probabiliter  
 esse potest talis rei Dominus.

88 §. 3. Si dominus reperiatur, tenetur inventor  
 ei restituere, nec debetur inventori ex justitia a-  
 liquid, cum res manserit domini: si tamen esset  
 consuetudo vel lex vel promissio aliquid dandi,  
 aut si labor esset positus in re invenienda, tenere-  
 tur pro æquitate dominus satisfacere; ita cum  
 aliis *Bonac. de Restit. d. 1. q. 3. p. 4. n. 7. Diana in*  
*comp. v. Restitutio n. 5.* §. 4.

§. 4: Si dominus non reperiatur, *Sot. Merca- 89*  
*do, Led. Sa, Sarmiento, Navarra, Mendo, Escob. Di-*  
*an: p. 11. t. 8. R. 12. dicunt inventorem posse re-*  
*tinere sibi, quam sententiam Platel: p. 3. n. 728.*  
*dicunt non esse improbabilem; Amic. Tamb. Rosm.*  
*Dicast. l. 2. t. 2. d. 9. n. 491. Burgh. cent. 1. cas. 68.*  
*Fls. t. 4. d. 2. n. 259. vocant probabiliorem;*  
*Vasq. Less. Mald. Med. Arrag. Megal. Lop. Salas,*  
*Henriq. Rodriq. Lugo n. 138. agnoscunt probabi-*  
*lem; Laym. & Castrop. de Just. p. 19. n. 4. dicunt*  
*valde probabilem; Diana p. 2. t. 3. R. 5. vocat in*  
*praxi tutam; Haun. t. 5. n. 26. defendit ut specu-*  
*lativè probabiliorem & tanquam in praxi secu-*  
*ram; Rationem dant, quia per inventionem ac-*  
*quiritur dominium rei, quæ domino caret, sed*  
*res perdita, post quæsitum & non inventum do-*  
*minum, est moraliter tanquam res carens domi-*  
*no, ergo. Aliter probant Laym: Castrop: & Haun:*  
*quia prudenter præsumitur dominum velle, ut*  
*inventor rem asservet, vel, si malit, utatur aut di-*  
*strahat cum obligatione restituendi æquivalens,*  
*si rescitur ipsum esse dominum, ita enim dice-*  
*rent saltem plerique, si post amissam rem suam*  
*interrogarentur: suadetque etiam aliqua æqui-*  
*tas, quia cum inventor rem domini bene gesserit,*  
*inquirendo in eum, meretur sibi relinqui, si do-*  
*minus non reperiatur: denique idem postulat*  
*ratio boni communis, nam si inventor sciat se ni-*  
*hil inde habere posse nisi molestiam in inquiren-*  
*do vel restituendo, facilè fiet, ut rem relinquat,*  
*ubi jacet, quod cederet in damnum dominorum.*

*S. Th. 2. 2. q. 66. a. 5. ad 2. S. Anton: Caj. Silv.*  
*Nav. Cov: Valent: Med: Less: Turr: Mol: t. 2. d. 746.*  
*Fill. t. 132. n. 85. Platel. suprà dicunt talia non*

posse retineri ab inventore, sed danda esse pauperibus vel ad pias causas, quam sententiam *Lugo* n. 139. dicit esse veriolem, *Laym.* l. 3. f. 5. t. 1. c. 5. n. 24. vocat piam & tutiolem, *Castrop.* putat in praxi sequendam: Rationem dant aliqui, quia prudenter præsumitur eam esse voluntatem domini, saltem pro utilitate animæ suæ, nulla enim, inquit *Mol.*, est gens tam barbara, quæ non putet eleemosynas esse bona opera; & si re ipsa à Christianis dentur pauperibus, actus dantis & oratio pauperis potest prodesse cuivis etiam infideli; *Castrop.* dat aliam rationem, nempe quia ita videtur præscriptum per consuetudinem timoratorum, qui res ejusmodi dant pauperibus; & isti consuetudini favent privilegia à summis Pontificibus concessa variis Ordinibus, qui etiam sub excommunicatione possunt compellere detentores talium rerum inventarum, ut eas sibi extradant pro redemptione captivorum, ergo signum est deberi pauperibus vel ad pias causas; de his tamen privilegiis videri potest *Castrop.* supra & *Haun.* à n. 31.

*Vasq.* aliique post ipsum, teste *Dicast.* n. 421., dicunt Principem vel Remp. de eiusmodi rebus disponere posse, cum enim moraliter careant domino, videntur recidere ad bona communia, de quibus potestas civilis disponere potest, si velit: quod si non disponat, putat expendi debere ad usus pios, ob rationes jam datas.

*Lugo* à n. 139. sic distinguit: quando res inventa non amplius censetur esse domini, eò quòd spectatis circumstantiis non videatur possibile, ut res redeat ad priorè dominum, vel ut ipse aut ejus hæredes illam pro sua recognoscant, uti fit in

the-

thesauris, & fieret etiam in rebus amissis, si quis huc ex India reversus ibi in littore amisset gemmam ab aliis ibidem communiter reperiri solitis non discernibilem, putat rem talem esse moraliter nullius, ideoque inventorem posse occupare tanquam suam; è contrà quamdiu manet potentia ac spes dominum inveniendi, qui rem recognoscat, dicit posse servari aut etiam consumi servato pretio; si autem neque res neque pretium servari possit, dicit expendendam in usus pios; putatque hanc esse obligationem, non ex jure positivo tantum, uti volunt *Vasq: Less. Mald: &* alii, sed naturæ, quia cum res maneat sub dominio illius, qui perdidit, lex naturæ dicat, ut de illa agatur, quod dominus voluerit, voluntas autem eius tum præsumitur esse, uti plerumque est, ut expendatur in usus pios; suadetque *Lugo n. 151.*, si dominus rei præsumi posset esse mortuus, procurari inde Missas pro eo; deinde universaliter, ut eleemosynæ istæ fiant ab aliquo constituto in gratia, sic enim certius profunt. *Nec obstat*, inquit, quòd dominus sit fortè damnatus, nam in hoc casu debet respici voluntas hæredum, ad quos hujus rei dominium est devolutum, qui præsumuntur velle offerri saltem pro se, prout magis expediet.

Hæ omnes sententiæ sunt probabiles, sed secunda *S. Thomæ* magis pia est & in praxi consulenda, uti etiam notant *Busenb. & Dicast. n. 434.*, attamen sententia *Lugonis* omnibus consideratis videtur probabilior, etiam ex hoc, quòd reliquas omnes quasi inter se componat.

§. 5. Si res inventa, fuerit derelicta, fit invento- 90  
ris, qui primò occupat, uti habetur *L. 1. ff. Pro derelicto:*

*relictō*: hoc autem habetur pro derelictō, quod dominus non vult amplius esse in numero rerū suarum; tum autem censetur non velle amplius esse in numero rerum suarum, si abjecerit, si potens facile recuperare negligat, vel non inquirat, si parvi momenti sit, inquit *Haunol.* n. 5., & ideo non videatur curare, ut recipiat; unde res ob periculum tempestatis abjecta non habetur pro derelicta, uti dicitur n. 112.; si tamen talis res naufraga esset procul abrepta à fluctibus, & dominus sciens ubi esset, non curaret recipere, vel quia parvi faceret, vel quia fugeret expensas, haberetur pro derelicta, *Less.* l. 2. c. 5. n. 67. Etiam inde colligitur rem esse à domino derelictam, si tanta sit temporis longinquitas, ex quo perdita est, ut dominus vel ejus hæredes non possint moraliter eā recognoscere, nec aliquis sit, qui sciat ad ipsos pertinere, hoc ipso enim res talis nullo pretio est æstimabilis ipsis, ideoque nec possent vendere, ergo nullum amplius censetur habere illius dominium, *Haunol.* n. 7. Magis dubitatur, an solā voluntate possit res fieri derelicta & amitti dominium, negant *Suarez* & *Lugo* d. 23. n. 59., nam *L. 17. §. Differentia. ff. De acquir. poss.* Sic habetur *Differentia inter dominium & possessionem hæc est, quod dominium nihilominus ejus manet, qui dominus esse non vult, possessio autem recedit, ut quisque constituit nolle possidere*: hinc infert *Lugo* dominium non amitti ab uno, nisi in alium transferatur, quia nisi alius acquirat titulum habendi rem, ipsi manet titulus, ergo & jus: sed videtur dicendum, legem tantum velle, quod solo animo interno amitti non possit pro foro externo aut omnino irrevocabiliter; verum requiratur aliquis actus externus,

nus,

nus, quo v. g. rem abiciat, aut videns abjectam  
 exterius prodat se nolle resumere; de cætero non  
 præsumi abjecisse, cum forum externum non ju-  
 dicet de internis, nec illa inspiciat: itaque si ita  
 abjecerit etiam externo signo addito, fit nullius,  
 & postea primò occupantis, quæ autem sit diffe-  
 rentia inter dominium & possessionem, videri  
 potest *Lugo* n. 60. §. *dices*.

§. 6. Ut res, quæ nullius est aut censetur dere- 91  
 licta, fiat primò occupantis, debet ab eo verè ap-  
 prehendi, hinc si Titius & Cajus ambulent, & Ti-  
 tius primus videat gemmam, quæ nullius est, ve-  
 litque esse suam, Cajus autem illam prior ap-  
 prehendat animo habendi ut suam, gemma est  
 Caji, qui primus occupat, *Lugo* d. 6. n. 98.

Q. 23. Quid præterea sit notandum circa resti- 92  
 tutionem rei incertæ. R. Seqq: §. 1. Habens rem ta-  
 lem non tenetur credere cuivis dicenti rem esse  
 suam, sed examinandum, an id prudenter sit cre-  
 dibile: quòd si plures dicant esse suam, & omni-  
 bus consideratis dubitetur æqualiter, cujus sit, si  
 consentiant, distribui debet inter illos; si autem  
 non consentiant, deponenda est, ut auctoritate  
 Judicis uni assignetur; vel in pauperes est distri-  
 buenda, *Bonac.* de Restit. d. 1. q. 3. p. 4. n. 16.

§. 2. Quando scitur rem pertinere ad unum è 93  
 pluribus, sed resciri non potest ad quem deter-  
 minatè, debet restitui inter illos dividendo pro  
 rata majoris probabilitatis vel dubii, quia singuli  
 habent jus dubium ad rem illam, nullus autem  
 certum, ergo æquitas postulat restitui illis pro  
 qualitate dubii, *Molin. Less. Lay. Castrop.* aliique  
 cum *Petseh.* pag. 652.

§. 3. Si quis ex delicto habeat bona incerta, de- 94

D 4

bet



bet restituere locis sacris vel pauperibus, uti de pretio usurario definivit *Alex. III. cap. Cum tu, De usuris*: idem est de acquisitis per simoniam, secundum dicta p. 1. n. 239. Similiter alia ex recepta consuetudine & communi D:D: consensu restitui debent sacris locis vel pauperibus, *Burgh. cent. 2. cas. 73. flls: tr. 4. d. 2. n. 258*. Si tamen iniquus detentor sit ipsemet pauper, potest propriam auctoritate sibi attribuere, *S. Th: Scot: Nav. Gabr: Med: Laym: Molin: Vasq. Sanch. 1. 6. c. 11. n. 54. aliique multi cum flls. d. 3. n. 250*. Ratio est, quia paupertas est sufficiens causa retinendi: Addunt *Lugo d. 20. n. 8. & flls. n. 191*. etiam posse retinere, si debitis ultra vires gravatus esset, tum enim esset reipsa pauper: Si tamen in aliqua Dicecesi essent specialia statuta, ut distributio eorum fieret secundum dispositionem Episcopi vel Confessarii, uti *Bonac: dicit esse Mediolani*, talibus locis standum esset ejusmodi statutis.

- 95 Q. 24. Quid faciendum, si dominus compareat, postquam res pauperi vel piæ causæ applicata est. R. §. 1. Si prius adhibita est sufficiens diligentia pro inveniendo domino, *Sotus, Henriq: Navarra, Led:* aliique cum *Lugo d. 21. n. 101*. dicunt non esse obligationem restituendi domino, quamvis res adhuc exstaret, quia pauper vel locus pius acquisivit dominium, tradita enim est, quando dominus non poterat censeri rationabiliter inventus; è contrà domino restitui debere à paupere vel loco pio, dicunt *Mel. Laym. Castrop. Persch. pag. 649. Dian. p. 11. t. 8. R. 12.*, quia prior distributio videtur facta ex conditione, si nō compareat Dominus, alioquin negotium ejus esset malè gestum, ergo si compareat, distributio est
- in-

invalida : utraque sententia est probabilis, sed secunda videtur probabilior : concedit tamen etiam *Mol.*, si res illa sit à paupere alienata, non esse amplius restituendam, verum si secunda sententia vera est, consequenter dicendum, quamdiu existit, restituendam esse, aut eius pretium, si quis ex illo sit factus ditior.

§. 2. Si non præcessit sufficiens diligentia pro 96  
inveniendo domino, & res adhuc existat apud pauperem vel locum pium, hi secundum omnes tenentur restituere, & in horum defectu ille, qui dedit, quia transferri non poterat dominium, cum dominus esset rationabiliter invitatus; & qui dedit non præmissâ inquisitione, domino fecit injuriam : quod si res bonâ fide sit consumpta, nec quisquam ex ea factus sit ditior, tum ille solus tenetur restituere, qui dedit, quia fecit injuriam sic dando, *Azor, Mol. Less. & alii cum Bonac. n. 18.*

§. 3. Si Confessarius bonâ fide, sed non præ- 97  
missâ sufficiente inquisitione dixerit furi, ut rem daret pauperibus, si sit data & consumpta, probabilius est furem obligari iterum dare pretium domino comparenti, quidquid contradicat *Tambur. l. 8. t. 4. c. 1. §. 5. n. 8.*, cujus sententiam videtur agnoscere probabilem *Sporer t. 4. c. 4. n. 20.*, cum dicat se non audere obligare ad iterum solvendum; sed ratio nostra est, quia si fur ipsemet bonâ fide dedisset absque præmissâ inquisitione, utique postea adhuc teneretur restituere ratione primæ acceptionis injustæ, quamdiu enim non est adhibita sufficiens diligentia pro inveniendo domino, hujus voluntas non est, ut detur pauperibus, ergo cum diligentia illa non fue-

rit nec à Confessario nec à fure adhibita, præsumi non potest adfuisse domini consensum. Vide dicenda à n. 421.

98 Q. 25. Si fur rem alienam tibi donarit vel vendiderit, cui debeas restituere. R. §. 1. Si donarit, teneris restituere domino & non furi, quia prior mansit dominus, cui si restituas, non patieris grave incommodum, uti suppono: si autem restituas furi, qui non reddat domino, tu teneberis compensare damnum, cujus es causa efficax.

99 §. 2. Si fur tibi vendiderit, nec possis aliter recipere tuum pretium, poteris hoc pretium repetere, permittendo ut fur rem illam recipiat, uti habet communis, quia habes jus ad tuum pretium, pro quo nihil accepisti, ergo potes illud repetere; deinde non obligasti te ad conservandam cum tanto damno rem domini, ergo permittere potes iterum eripi.

100 §. 3. In hoc tamen ultimo casu, etiamsi deberes pretium perdere, probabilius videtur, quòd non possis rem reddere furi, aut positivè ad hoc cooperari, ut fur recipiat, si prævideas non esse reddendam domino, ita *Cajet. Med. Sotus, Led. Mol. Laym. L. 3. t. 4. c. 17. §. 3. n. 24.*, quibus in re consentiunt *Lugo d. 17. s. 2. & Plaxel. p. 3. n. 738.*, partim contra *Silv. Alens. Bejam p. 1. cas. 63. Dian. p. 5. t. 14. R. 87. Haun. t. 3. n. 260. Petsch: pag. 562. Sporer t. 4. c. 2. à n. 121. Flls. t. 4. d. 3. n. 40.*, qui absolutè dicunt posse reddi furi, etiam à possessore malæ fidei: partim contra *Less. Mald. Turr. Dicast. de Rest. d. 5. dub. 4.*, qui dicunt posse reddi, sed tantùm à possessore bonæ fidei, verùm non apparet ulla ratio, cur reddi possit à possessore bonæ & non malæ

malæ fidei, uti rectè Lugo n. 37., quamvis enim emptio sit malâ fide facta, cùm tamen rescindatur, aut ab initio fuerit nulla, ratione illius non magis nascitur ex redditione rei injuria contra dominum, quàm si bonâ fide esset facta. Ratio itaque nostra est, 1. quia si dominus rei sciret eam esse apud emptorem, justè ab hoc repeteret vel resumeret, & emptor per Judicem cogeretur domino reddere, ergo signum est, quòd ex natura rei ad hoc teneatur. 2. Res extracta è potestate furis, hoc ipso acquisivit meliorem statum, qui status spectat ad rem ipsam, & consequenter ad dominum rei, ergo qui rem illam ex hoc meliore statu rejicit in deteriorem, facit domino injuriam, sicuti si rem alienam extraxisses ex incendio, non posses citra injuriam iterum injicere, quamvis Titius tibi minaretur æquale damnum, nisi iterum injiceres.

*Respondet Haunol.* disparitatem esse, quòd Titius non habeat jus ad exigendam à me illam projectionem, fur autem habet jus ad repetendam rem ab emptore, quia cùm fur teneatur eam restituere domino, etiam habet jus eam repetendi, ne, si non recipiat, patiatur damnum, cogetur enim valorem illius solvere. *Contrà est,* nam fur non habet jus absolutum repetendi rem ab emptore, alioquin dominus recipiens ab emptore faceret injuriam furi, quod patet esse falsum: itaque habet jus tantùm conditionatum, pro circumstantiis, in quibus prudenter judicatur velle restituere, & Dominus ipse non esset aliter recepturus, fur enim non potest repetere, nisi ut restituat: in hoc autem casu, quo fur vellet restituere, non negamus, posse reddi  
furi,

furi, sed tantum in casu, quo creditur non reddi-  
 turus, aut dominus aliter & cum minore peri-  
 culo non est recepturus, hinc jus repetendi, quod  
 habet fur, non fundatur in nuda obligatione re-  
 stituendi, sed in hac ut conjuncta cum negatione  
 periculi redundaturi in dominum rei, item cum  
 negatione restitutionis aliter certius faciendæ.

101 *Objiciunt* 1. In jure datur actio furi, per quam  
 possit rem reposcere, ergo justè reposcit, ergo  
 emptor tenetur ei reddere, & consequenter non  
 peccat reddendo. R. Datur talis actio, si pru-  
 denter judicetur veile absque periculo restituere  
 domino, quod leges illæ præsumunt, c. secus, n.

102 *Instab.* 1. Qui reddit furi, non causat pejorem  
 statum, quam res haberet ante emptionem, ergo  
 cum emptio sit irrita, non fiet domino injuria, si  
 reponatur in priori statu apud furem, ita *Less.*  
 R. N. conseq: , nam privat statu intermedio me-  
 liore, quem acquisiverat.

*Inst.* 2. Hic status non provenit ex ipsa re, sed  
 ex libera voluntate ementis, ergo si rescissâ hac  
 voluntate reponat in statum pristinum, non fa-  
 cit iniuriam, ita *Dicast.* R. N. conseq: , undecum-  
 que enim proveniat, spectat ad rem & conse-  
 quenter ad dominum rei, uti à simili patet in re  
 erepta ab incendio; ergo iniquum est iterum ex  
 illo statu dejicere.

103 *Obj.* 2. Si emptor, ne pretium amittat, possit  
 permittere rem iterum eripi à fure, uti n. 99. di-  
 ctum est, ergo si fur velit mihi furari 100. aureos,  
 potero aperire cistam, in qua sunt 100. aurei alie-  
 ni, permittendo ut hos eripiat, & mihi meos re-  
 linquat. R. N. seq. , nam sic aperiendo cistam  
 positivè cooperor & æquivalenter dico, ut loco  
 meorum hos accipiat.

Q. 26.

Q. 26. *An satisfaciat, qui restituit creditori creditoris.* R. Resolvetur postea n. 453. & 454.

Q. 27. *Quid notandum sit circa bona vacantia.* 104  
R. Bona vacantia dicuntur, quæ relicta sunt à defuncto, qui nec hæredes habuit nequidem intra decimum gradum, nec de bonis illis disposuit; & hæc jure naturæ sunt primò occupantis, quia sunt derelicta; sed per L. 1. 4. & 5. Cod. *De bonis vacantibus*, devolvuntur ad fiscum; & quidem ad sæcularem, si defunctus fuit laicus; ad Ecclesiasticum, si fuit clericus, *Laym. l. 3. t. 5. c. 6. n. 4. Busenb. referendus n. 1153.* Attamen *Amicus de Just. d. 16. n. 6.* non putat possessorem ante Judicis sententiam teneri hæc bona fisco tradere, nam in eadem lege dicitur intra certum tempus posse præscribere contra fiscum, ergo supponitur posse retinere bonâ fide, cum malâ fide nunquam præscribatur. Disponit etiam *Auth. Omnes peregrini Cod: Communia de successione*, ut bona peregrinorum decedentium sine testamento occupari non possint ab eorum hospitiibus, sed Episcopus ea tradat hæredibus ab intestato, aut erogat in pias causas, ita ut si hospes sibi inde aliquid sumpserit, triplum restituat applicandum pro arbitrio Episcopi. Sed *Taberna p. 2. t. 2. c. 5. §. 2.* loquens de ista lege ait, *vel est usu contrario abrogata; vel, ut vult Mol., est limitata ad eos, qui intestati decedunt in hospitalibus, Episcopo subjectis, vel, ut Gudelinus, ad res parvi momenti, quas peregrinus apud se habuerit: verum spectandæ sunt consuetudines locorum.*

Q. 28. *Quid circa thesauros, venas metallorum & similes res occultas, si inveniantur.* 105  
R. seq.  
§. 1. *Thesaurus est res mobilis, quæ fuit alicujus*

jus, nunc autem erat profundè defossa in terram & antiquitus deposita in usum futurum, carebatque domino, saltem ideo, quia defecit deponentis memoria. *Less. Lugo & Haun.* sic definiunt vetus depositio pecuniæ vel alterius rei mobilis, cujus non existat memoria, ut jam dominum non habeat; & ita habetur *L. Nunquam, ff. De acquir. rer. domin.* Ideoque rectè infert *Lugo d. 6. n. 111.*, si adhuc sit eius dominus, qui sciat illud suum depositum, non esse thesaurum: deinde ex prima definitione inferunt aliqui, si res non fuerit profundè, vel non antiquitus defossa in terram, non esse propriè thesaurum; è contrà *Lugo* putat nomine thesauri venire etiam illa, quæ non in terra sed alibi sunt recondita, v. g. in muro vel arbore, & n. 129. dicit, si emisti saccos lanæ vel antiquas trabes, in quibus conditæ erant pecuniæ aut alia pretiosa mobilia, hæc dici thesauros, & de illis etiam valere dispositiones juris positivi, quas jam referemus.

106 §. 2. Si thesaurus sit inventus loco publico ad neminem spectante, totus est inventoris, §. *The-sauri* 39. *Instit. De rerum divisione.* Si inventus sit in loco ad aliquem spectante, etiam ad civitatem aliquam, distinguendum est, nam si inventus sit casu, media pars cedit inventori & media domino fundi, siue fundus sit sacer siue profanus, uti habetur in *Instit. supra*, docentque *AA* apud *Dia.* p. 8. t. 5. R. 3. cum *Burgh.* cent. 2. cas. 1. quamvis jus apud *Haun.* t. 5. n. 14. in aliis locis, aliter loquatur, si in loco sacro aut in monumentis reperiatur, nempe ut media pars cedat fisco. Si sit inventus ex industria seu quærendo, totus pertinet ad dominum fundi, *L. un. Cod. De thesauris,*  
pro-

probatque ex consensu Theologorum *Bonac.* de Rest. d. 1. q. 3. p. 3. n. 3. Putant tamen *Vasqu. Baun. Less.* l. 2. c. 5. n. 59. *Lugo* n. 131. & alii cum *Jlls.* t. 4. d. 2. n. 251. non esse obligationem in hoc ultimo casu dandi domino fundi, nisi accedat sententia Judicis, quia videtur esse lex pœnalis ob præsumptionem furti, sed *Bonac.* & alii dicunt etiam leges illas esse absolutè dispositivas, ideoque obligare etiam ante sententiam, potuit enim Princeps aut Resp., & sufficienter declarat se velle sic transferre dominia thesaurorum, si inveniuntur.

§. 3. Si dominus fundi licentiam dederit quærendi thesaurum, *Nav.* & *Lugo* n. 114. probabiliùs dicunt totum esse inventoris, nisi fortè per fraudem obtinuerit licentiam, si enim dominus nihil sibi reservarit vel deduxerit in pactum, standum est jure naturæ, quo thesaurus cedit primò occupanti, cum leges positivæ nihil disponant de hoc, si inveniatur de industria, sciente & consentiente domino fundi, dummodo tamen inventor ex inquisitione antecedente non præsciverit, uti notat *Jlls.* à n. 252. 107

§. 4. Si inveniatur in fundo usufructuarii vel locatarii, hi inventores poterunt acquirere dominium vel ejus partem, sed non in quantum usufructuarii aut locatarii, quia thesaurus non est fructus fundi, unde pars, quæ competet domino fundi, spectabit ad dominum directum: è contrà si inveniatur in fundo feudatarii vel emphyteutæ, his competet, quia in omnibus substituantur tanquam veri domini, exceptis quibusdam casibus, inter quos non est thesauri inventio, *Lugo* à n: 118. *Haun.* n. 18. *Jlls.* n. 356. 108

§. 7.



109 §. 5. Si arte magicâ vel aliâ odiosâ aut prohibitâ inveniatur etiam in proprio fundo, in pœnam criminis statuitur L. un. Cœd. De *thesauris*, ut pars inventori alioquin debita cedat fisco; sed cum quoad partem illam sit lex pœnalis, *Nav. Less. n. 65. Lugo n. 131.* alique communiùs dicunt non obligare ante sententiam Judicis.

110 §. 6. Si venæ metallorum inveniuntur in loco publico, qui nullius est, metalla fiunt primò occupantis: è contrâ si inveniuntur in fundo alicujus, *Sot. alique cum Less. l. 2. c. 5. dub. 12.* dicunt non pertinere ad dominum fundi, sed ad inventorem, 1. quia sunt aliquid ordinatum ad bonum commune: 2. Quia alioquin pictura Appellis, si fieret in vilissimo panno, deberet cedere domino panni, quod falsum est ex dicendis n. 135. 3. Quia aliàs Principes iniquè agerent faciendo ea erui etiam in fundo alieno, reservatâ sibi bonâ eorum parte & tantum compensato damno, quod causatum est domino fundi: *Sed rationes illæ non convincunt, nam ex 1. sequeretur, etiam non debere cedere inventori; itaque adhuc sunt ad bonum commune, quamvis fiant privatorum, qui distrahere poterunt. Nec 2. stringit, nam pictura ab extrinseco advenit, nec est pars panni, ergo non erat æquum, ut pannus longè vilior ad se traheret picturam. Nec 3. quia pro hoc potuerunt esse aliæ justæ causæ: Hinc Vasq. Turrian. Mol. t. 2. d. 54. Lugo n. 107. Haun. n. 4.* probabiliùs dicunt de jure naturæ spectare ad dominum fundi, quia sunt illius pars, vel saltem inter fructus naturales computari debent, uti enim herbæ, ita metalla è terra gignuntur agente sole vel igne subterraneo; & sicuti fodina lapi-

lapidum est illius, in cujus fundo invenitur; item fons illius, in cujus fundo erumpit, multò magis metallum.

§. 7. Notat rectè *Haun.* n. 18. circa inventiones thesaurorum, & *Lugo* n. 108. circa inventiones metallorum, spectandam esse consuetudinem locorum, nam hodie dum Principes aut Resp. magnam partem vel totum thesaurum sibi vendicant, venas autem metallorum magna ex parte applicant inventoribus, etiam ideo, ut eos ad quærendum incitent; & ita etiam habetur L. 3. Cod. De Metallariis & metallis. Cuncti, qui per privatorum loca, saxorum venam laboriosis effossionibus persequuntur, decimas fisco, decimas etiam domino repræsentent, cætero modo suis desideriis vindicando: an autem id justè per modum tributi, an verò tale tributum fit injustum, eò quòd videatur inæquale, videri potest *Lugo*, qui dicit justum esse, eò quòd spes ejusmodi inveniendorum parvi æstimetur, & ita statuatur pro priori ad hoc, quòd hic vel ille fundum possideat: quo autem pretio emi possit fundus, in quo scitur esse thesaurus aut ejusmodi vena metallica, de quibus tamen dominus fundi nihil scit, dicetur postea, n. 942.

Q. 29. Cui restitui debeant res ex incendio vel naufragio ereptæ. R. Priori domino, uti rectè *Bonac.* de Rest. d. 1. q. 3. p. 10. n. 6., quia tales res manent domini, & alioqui cuivis liceret rapere quidquid posset, è domo incensa: & quamvis ille, qui eripuit, potuisset sine injuria permittere comburi vel mergi, tamen hoc ipso, quòd eripuerit, res obtinuit meliorem statum, qui status ad rem ipsam pertinet, adeoque ad dominum rei, uti n. 100. dictum est: quod maxime

Tom. III.

E

valet

valet de rebus, quas dominus in periculo naufragii ejicit, uti rectè *Haunol.* tr. 5. à n. 152., nam non ideo ejicit, quòd habere nolit, sed ut evadat, vultque recipere, si possit, & non sunt in derelicto, sed in deperdito, §. 48. *Instit. De rer. dom.* L. 21. §. 1. ff. *De acquir. vel amitt. possess.* hinc qui eas res rapuit & repetenti non reddit, quadruplo tenetur, L. 44. ff. *De acquir. rer. dom.* imò sic retinens publicatione omnium bonorum multatur, Auth: *Navigio Cod. De furt. & servo corrupto*: hinc cum aliis docet *Dicast.* de Rest. d. 9. n. 436. aliam legem aut consuetudinem, per quam talia bona fierent illius, ad cujus fundum appellerent, fore injustam: hinc etiam in Bulla Cœnæ excommunicantur, qui bona naufraga Christianorum occupant, nisi fortè censeantur derelicta, uti diximus n. 90.

113 Q. 30. Cui restitui debeant res in bello captæ.  
 R. Dominium rerum immobilium justo bello captarum acquiritur Principi vel Reip:, nisi tales res iterum eriperentur hostibus, tum enim antiquis dominis restituendæ sunt, L. 20. §. 1. ff. *De capt.*, tenentque AA communiter cum *Dicast.* L. 2. t. 1. d. 10. n. 420: Econtrà si sint res mobiles, distinguunt aliqui Juristæ apud *Haunol.* n. 60. dicentes, si sint valde pretiosæ, acquiri Principi; si vulgares, acquiri capientibus; sed *Dicast.* dicit, seclusâ consuetudine in contrarium, regulariter acquiri capientibus, quia §. 17. *Instit. De rer. divis.* absolutè sic habetur, *Item ea, quæ ex hostibus capimus, jure gentium statim nostra sunt.* Quòd si talia capiantur, quæ hostes injustè rapuerant, de jure naturæ restitui deberent dominis, jure tamen Cæsareo ad  
 vitan-

vitandas lites fiunt capientium, si hostes ea deportarent ad præsidia vel loca tuta, *Molin. Coning. Tann. Burgh. cent. 2. cas. 6.*, Valet tamen illa dispositio tantum pro subditis Cæsari, & tantum circa bona fortunæ pertinentia ad laicos, quia de illis solis disponere potuit jus Cæsareum: si autem hostes nondum deportarent ad præsidia vel loca tuta, aut si domini adhuc insequerentur, etiam de jure Cæsareo restitui debent prioribus dominis, *Molin. Dicast. n. 424.*

## D V B I V M V I.

*De rebus, quæ debent restitui.*

## A R T I C U L U S I.

*Quid debeat restitui ab inferente injuriam materialem tantum, sive à possessore bonæ fidei.*

**R**esp. Qui bonâ fide damnum intulit, aut possidet aliquid, de quo postea melius cognoscit, tenetur, ne incipiat esse possessor malæ fidei & detinere alienum, id tantum, & non plus restituere, quod ex ea re ipsi superest, unâ cum eius fructibus, si extent, vel quatenus inde factus est ditior; præterquam, si dominium sibi comparavit per legitimam præscriptionem. *Ita comm. Doctores, Mol. Sanch. Less. l. 2. c. 14. d. 1. Bon. to. 2. de*

E 2

restit.

restit. d. 1. q. 2. p. 1. Laym. l. 3. t. 2. c. 3. Unde resolves:

I. Si vestem v. g. bonâ fide donatam à fure aut alio, portasti, & ferè attrivisti, ac postea dominus compareat, teneris eam, aut æqualem ei restituere, & insuper persolvere quantum attrita est, si aliàs vestem æqualis valoris attrivisses: si autem eam amifisti, aut ablata tibi est, &c. ad nihil teneris, *Bon. l. c. Lay. n. 1. vid. Trul. lib. 7. c. 11. d. 1. n. 3.* Si autem res, quam à fure bonâ fide accepisti (sive donatione, sive emptione) sit usu consumptibilis, eamque cum tuis miscuisti, ita ut discerni nequeat, etsi deinde deprehendas furtivam fuisse, non teneris restituere. *Nav. Syl. Sayr. Less. Bon. d. 1. q. 3. p. 1.* quia per istam commixtionem bonâ fide factam, est in te translatum dominium, ut colligitur ex *L. Si alicui numeri. ff. De solut.* neque est ratio, cur hæc potius, quàm illa pars censeatur aliena: atque adeo perit obligatio realis, & tantum manet personalis in venditore, v. *Dian. p. 4. t. 4. R. 66. Trul. d. 3. n. 7. Less. n. 22. 156. 157.* ubi addit, esse valde probabile, juriq. naturæ conforme, quod verus dominus rei illius ablatæ & permixtæ (quamdiu totus cumulus extat) retineat jus in re, ut ex isto cumulo sibi satisfiat ante alios; imò possit ex eo occultè accipere.

II. Milites bonâ fide militantes, intellectâ postea belli injustitiâ, id tantum restituere debent, quod adhuc habent ex præda, & quo facti sunt ditiores. *Bon. l. c.*

III. Qui bonâ fide per inculpatam ignorantiam celebravit contractum, quem postea usurarium esse cognoscit, non plus tenetur, quàm factus est ditior. *vid. Lay. cap. 3.*

IV.

IV. Possessorem bonæ fidei, si adhibitâ diligentiâ inclinet in eam partem, quòd res non sit sua, teneri aliquid restituere juxta inclinationem, docet *Kon. d. 34. dub. 10. n. 93.* At *Palaeus* 2. 1. d. 3. p. 2. n. 11. putat ad nihil teneri, quia possessio contrariis rationibus non convincenti- bus præponderat. Idem docet *Vasq.* apud *Escob.* 2. 3. c. 3. n. 154. *Dian. p. 4. r. 3. R. 24. & 26.* Si neglexit investigare veritatem, & deinde sciri non potest, dicit *Palaeus l.c.* ad nihil teneri.

V. Si bonâ fide rem vendidisti dono tibi datam, teneris restituere pretium, quia factus es locupletior: & satis debet esse tibi, non habere minus, quàm antè. Quòd si tamen apud alterum res est, is reddere tenetur. *Ib. & Vasq. c. 9. §. 2. Mol. Less. d. 1. §. c. 21. d. 17.*

VI. Si bonâ fide rem ipse emisti, & vendidisti absque lucro, nihil teneris restituere; sed solus is, apud quem res est. *Mol. l. c. Less. l. c. contra Vasq. & c.*

VII. Si rem alienum bonâ fide donasti, non donaturus aliam, si hanc non habuisses, ad nihil teneris; quia non es factus ditior: secus, si aliam donaturus fuisses (quia tunc parcendo tuæ, factus es ditior) vel si aliquid accepisti in remunerationem. *Bon. Trul. n. 6.*

VIII. Si alienâ re lucratus es tanquam instrumento, v. g. frumentum alienum aliò deportatum vendidisti, vel pecuniam alienam negotiationi exposuisti, non teneris illud lucrum restituere; quia non est fructus rei alienæ, sed tuæ meræ industriæ: tales enim fructus dicuntur meræ industriæ, quos ipsa natura ex se nullo modo gignit, sed tantum concurrat ut instru-

umentum operantis. *Laym. n. 3. ex S. Th. & aliis.*  
 IX. Fructus omnes rei, siue ii sint merè natu-  
 rales, hoc est, qui vix ullo hominum labore e-  
 gent; ut foetus animalium, arborum, herbae &  
 gramina: siue sint simul industriales, siue mixti,  
 hoc est, ad quos æquè, aut magis hominum la-  
 bor cum natura concurrat, ut v. g. fegetes, &  
 quæ ferendo gignuntur; item vinum, oleum, la-  
 na &c. quò etiam referuntur pretia locationis  
 domorum, iumentorum, &c. qui fructus civiles  
 appellantur, hi, inquam, fructus rei, si percepti  
 & extantes sint, domino restitui debent; dedu-  
 ctis tamen expensis propriis, & æstimatione la-  
 boris. Et quidem pretium locationis ex re alie-  
 na debet domino restitui, licet is rem, si penes  
 se habuisset, non fuisset locaturus. *V. Lay. l. c.*  
 Si tamen fructus isti reales bonâ fide possessi  
 fuerint tempore à lege præscripto ad usucapi-  
 endum illos, (quòd, si adsit titulus, est biennium  
 inter præfentes, inter absentes quadriennium; si  
 autem non adsit titulus, anni 30. cum bona fide)  
 non sunt restituendi; quia usucapio transfert  
 dominium. *Salon. Trull. l. 7. c. 11. d. 3.*  
 X. Si à fure accepisti (siue bonâ siue malâ fide)  
 rem usu consumptibilem, v. g. vinum, oleum,  
 triticum, &c. cum propriis ipsius furis rebus  
 permixtum, ita ut non discerni possit, non te-  
 neris restituere, si fur ad restituendum sit po-  
 tens: quia fur per commixtionem istius rei cum  
 propria, acquisiuit ejus dominium; atque adeo  
 illud tanquam verus ejus dominus potuit  
 transferre. *Nav. Sanch. Less. Bon. Trul. n. 6. V.*  
*Dian. p. 2. r. 5. m. R. 40.*

## A D D E N D A.

Q. 31. An res eadem in individuo restitui debeat. R. 115

§. 1. Valerius apud Dian. p. 2. t. 16. R. 29. dicit non peccari contra iustitiam, si reddatur qualiscunq; in valore æqualis, quia reducitur æqualitas; posse tamen esse contra charitatem, si causetur tristitia vel ira in domino: sed dicendum est, debere ex iustitia, per se loquendo, restitui eandem in individuo, nisi alteri sit acquisitum ejus dominium, ita TT: omnes communiter; quod etiam volunt Juristæ, quando dicunt rem in specie esse restituendam, uti notat *Dicast.* de Rest. d. 2. dub. 2. Ratio est, quia res manet domini, qui salvâ iustitiâ non potest cogi permutare rem suam, si rationabiliter nolit, etiam si superadderetur aliquid supra justum pretium, uti addit *Dicast.* n. 134. *Dixi.* 1., per se loquendo, nam rectè docent *S. Anton. Silv. Navar. Valent. Dicast.* n. 13., quandoque posse rem aliam restitui, si alioqui aliud grave incommodum sequeretur, uti si restituendo rem eandem fur occultus manifestaretur: addit *Dicast.* n. 21. probabile esse, quòd furatus pecuniam aut aliam rem unico usu consumptibilem, satisfaciat reddendo similem, quia sola diversitas numerica non censetur in ejusmodi rebus facere inæqualitatem, unde affectio ad suam determinatè pecuniam censebitur irrationabilis: oppositum tamen tenent *Covar. Medin:* alique multi. *Dixi.* 2., nisi alteri acquisitum sit ejus dominium, tum enim posset res illa in individuo retineri, sed quia hic alter per rem alienam factus esset ditior, nec leges positivæ volunt rem esse absolutè ipsius, nisi fortè in alluvione, de qua



à n. 136., & in præscriptione, de qua à n. 468., tenebitur restituere æquivalens: tale autem dominium rei alienæ acquiri potest permixtionē, specificatione, accessione, de quibus ordine aliqua addemus.

116 §. 2. Si permisceantur res liquidæ aut liquefactæ, sive sint ejusdem sive diversæ speciei, dicitur confusio, uti si ex duobus oleis fiat unum, ex vino & melle mulsum, ex stanno & argento poculum: Si permisceantur res manentes solidæ, dicitur strictè mixtio, uti si permisceantur pecuniæ, frumenta: debent tamen talia mixta post confusionem vel mixtionem esse ab invicem indiscernibilia: per hoc autem etiam differunt confusio & mixtio, quòd factâ confusione nulla pars assignari possit, quæ non habeat aliquid de utroque, sic omnis pars multæ est partim vinum partim mel: è contrà quando solida miscentur, v. g. meum frumentum cum tuo, grana manent separata, & de singulis verum est dicere, hoc granum non fuit utriusque, licèt nunc propter similitudinem discernere non possimus, cujus fuerit. Videri potest *7lls. t. 4. d. 2. n. 269.*

117 §. 3. Si confusio rei alienæ cum tua fiat communi consensu vel casu, sive partes sint ejusdem generis, uti partes olei tui & mei, ex quibus non resultat nisi oleum; sive diversi, uti stannum & argentum, ex quibus conflatur poculum, dominium totius est commune utrique, *Instit. suprâ, §. Si duorum, 27.* Si autem altero inscio vel invito rem ipsius confundas cum tua, & sint res diversi generis, quæ per ordinariam humanam artem non possint ab invicem separari, uti separari non possunt vinum & mel in mulso, tu acquiris do-  
minium

minium totius mulsi, uti habetur suprâ §. 25. in fine. E contra si res diversi generis sic confusæ possint ordinariâ arte humanâ separari, uti poculum resolvi potest in stannum tuum & argentum meum, non acquiris dominium mei argenti, sed tu tui stanni, ergo mei argenti manebo dominus, & per vendicationem potero repetere, *Haunol. n. 114.*

§. 4. Si alienam pecuniam domino inscio vel 118 invito misceas tuæ volens totam habere ut tuam, acquiris ejus dominium, l. 78. ff. De solut., & rationem dat *Glossa*, quia mixtio habet vim consumptionis: quod certum videtur, saltem quando tua erat in majori quantitate, quia pars major trahit ad se minorem, secundum l. 23. §. 4. ff. De rei vindicat., docentque *Molin. Vasq. Lugo n. 166. Dicast. l. 2. t. 2. d. 5. n. 185.* Quòd si aliena fuisset in majori quantitate, aut etiam in æquali, secundum *Lugo* non fieret tua, sed neque alterius, cum ille non habeat voluntatem acquirendi dominium totius: si autem mixtio fiat communi consensu vel casu, sive sint pecuniæ sive res aliæ in *Instit. De rer. dom. §. Quòd si. 28.* statuitur, ut totus cumulus sit utriusque, tum enim censetur esse voluntas eorum, ut res tota maneat communis: quòd si uterque nollet esse communem, neque etiam singuli vellent habere totum cumulum tanquam suum, singula mixta manerent propria singulorum, & per Judicem deberet singulis secundum æquitatem pars attribui, uti habetur in *Instit. suprâ.*

§. 5. Si fiat mixtio rerum aliarum, quæ non 119 sunt pecuniæ, uti mei frumenti cum tuo, & misceas me inscio ac invito, volens habere totum

tanquam tuum, *Haunol.* suprà dicit me manere dominium mei, partemque meam à Judice separandam esse, quia id specialiter statutum est de pecuniis in ff: suprà, & ratio potuit esse, quia pecuniæ sunt in quotidianis commerciis, unde multæ difficultates oriri possent, si earum dominium, quando miscentur, maneret ita incertum: è contrà *Lugo* suprà dicit eandem esse rationem de frumentis & aliis rebus; idemque affirmat *Dicast.* n. 185. de rebus omnibus unico sui usu consumptilibus, quia de omnibus valet dictū *Glossæ*, quòd mixtio sit quædam consumptio rei.

120 §. 6. Etiam specificatione acquiritur dominium aliquando, uti habetur §. 25. *Instit.* *De rer. divis.* Porrò per specificationem hìc intelligitur introductio formæ novæ in materiam, seu mutatio materiæ in aliquid aliud, ita ut dicatur produci quasi nova species, uti quando ex uvis fit vinum, ex auro vas, ex lana pannus, ex tabula navis: ad specificationem autem, quâ acquiratur dominium, non sufficit aliquid quomodocunq; accidentaliter immutari, sed requiritur talis immutatio, ut in commercio humano fiat nova res, quæ etiam ideo efferatur novo nomine substantivo, uti ex lana fit pannus, hinc si lanam meam ex alba tantùm facias nigram, non erit specificatio, ideoque lana manebit mea, L. 26. §. ult. ff. *De acquir. rer. dom.*

121 §. 7. Si ex aliena materia facias speciem, quæ semel facta non possit reduci ad priorem materiam, acquiris dominium illius speciei: è contrà si possit reduci, dominium manet apud illum, cujus fuit materia. *Instit.* suprà §. 25. item L. 7. §. 7. ff: suprà, sic vinum ex uvis factum non potest redire

dire ad uvas, hinc si expresseris vinum ex meis uvis, acquiris vini dominium, sed mihi competit actio personalis in factum contra te: è contrà vas ex auro factum potest resolvi in aurum, hinc si feceris vas ex auro meo, dominium est meum, ideoque competit mihi actio etiam realis ad vas illud.

§. 8. Quamvis faciens speciem subministra- 122  
verit partem materiæ, uti si ex auro, quod mihi & tibi erat commune, feceris vas, non ideo acquiris dominium mei auri, quia vas potest resolvi in aurum utrique commune, ita cum communiore *Haun. n. 109*. Si tamen aurum meum jam antè per confusionem esset factum tuum, etiam vas esset tuum.

§. 9. Si ex frumento fiat farina, fit species & 123  
acquiritur dominium farine: è contrà si ex spicis excutiat frumentum, non fit strictè species: *Nec obstat*, quòd in *Instit. supra* pro exemplo specificationis ponatur, *si ex spicis fiat frumentum*, nam hic locus videtur malè impressus, & intelligi debet juxta *L. 7. §. 7. ff. De acq. rerum dominio*, unde desumptus est, ubi expressè dicitur oppositum, additurque ratio, cum enim grana, quæ spicis continentur, perfectam habeant suam speciem, qui excussit spicas, non novam speciem facit, sed eam, quæ est, detegit: & ita etiam cum aliis docet *Haun. n. 106*.

§. 10. Si ex meis asseribus facias navem, asse- 124  
res manent mei, quia in eos reduci potest navis; è contrà si ex mea quercu scindas asseres, & ex his facias navem, acquiris dominium navis & asserum, quia hi non possunt reduci in quercum, &  
ita

ita conciliantur duæ leges apud *Haun. n. 108.*,  
quæ aliàs sibi videntur contrariæ.

125 §. 11. Probabilius videtur ad acquirendum  
dominium rei alienæ per specificationem, sem-  
per requiri, ut facta sit bonâ fide, est communi-  
or cum *Glossa* ad §. 25. *Instit. supra & Haun. n. 107.*  
contra *Wesenb. Heigium, Bachovium & alios.* Ra-  
tio est, quia L. 12. §. 3. ff. *Ad exhibendum*, dicitur,  
mustum & oleum esse meum, quod sit ex uvis aut  
olivis meis ab illo, qui scit illa esse mea; neque  
potest esse alia ratio, quàm quia scivit esse mea,  
ergo quia processit malâ fide; & ratio additur,  
*quia si faciat sciens rem esse meam, censetur mihi dona-  
re operam suam*, ergo non acquireret dominium  
rei meæ: si tamen sciens rem esse meam bonâ fide  
putaret me contentum esse, acquireret dominium  
cum obligatione faciendæ mihi compensatio-  
nis, tum enim non potest censerî donare operam  
suam, *Haun.*

126 §. 12. Etiam per accessionem plerumque ac-  
quiritur dominium, id est, si rei alicui tanquam  
præsuppositæ & principali accedat aliquid, hoc,  
quod accedit & quasi adjicitur, cadit sub domi-  
nium illius, cujus est res, cui accedit, sicuti si po-  
culo accedat ansa, statux pes, annulo gemma,  
vesti suffultura vel intextura, ejus est ansa, pes,  
gemma &c.; cujus est poculum &c.; quamvis il-  
la adjecta essent pretiosiora, quàm ista, quibus ad-  
jiciuntur: nec utrumque habet se veluti principa-  
le partialiter, uti se habent illa, quæ in mixtio-  
ne concurrunt, sed hoc, quod adjicitur, est ac-  
cessorium, accessorium autem sequitur princi-  
pale, L. 23. §. 2. ff. *De rei vindicatione.* Nec obstat,  
quòd fortè fiat malâ fide, uti statuitur ibidem §.

26. ; priori tamen domino relinquitur actio & conditio furti contra illum, qui fecit, & eius hæredes: quodcumque autem tale quid, quod alienum erat, est adjectum, etiam bonâ fide, si illud, quod adjectum est, absque detrimento separari possit, debet reddi priori domino, imò *Lugo n. 160.* putat dominium manere apud illum, cujus antea fuit; quòd si absque detrimento separari non possit, conceditur actio, quâ vindicetur, probando quòd habeat sine justo titulo, ideoque cogatur ad compensandum.

§. 13. Ad accessionem reduci possunt ædificatio, plantatio, satio, scriptura, pictura, cum in his etiam unum adjiciatur alteri præsupposito, nempe ædificium, arbor, semen fundo; characteres chartæ; imago telæ vel tabulæ: in quibusdam tamen non omnino conveniunt cum accessione, uti patebit ex dicendis. 127

§. 14. In *Instit. De rer. divis. §. 29.* sic statuitur: 128  
*Cum in suo solo aliquis ex aliena materia ædificaverit, ipse intelligitur dominus ædificii, quia omne, quod solo in ædificatur, solo cedit: nec tamen is, qui materiae dominus fuerat, desinit dominus ejus esse, sed tantisper, neque vindicare eam potest, neque ad exhibendum de ea re agere, propter legem 12. tabularum, quâ cavetur, ne quis tignum alienum ædibus suis junctum eximere cogatur, sed duplum pro eo præstet per actionem, quæ vocatur, de tigno juncto: appellatione autem tigni omnis materia significatur, ex qua ædificia sunt: quod ideo provisum est, ne ædificia rescindi necesse sit: quòd si aliqua ex causa dirutum sit ædificium, poterit materia dominus, si non fuerit jam duplum consecutus, tunc eam vindicare. Lex illa intelligitur de ædificiis solo affixis, & immobilibus, quæ enim solo moveri possunt,*

possunt, solo non cedunt, L. 60. ff. De acquir. rer. domin. Sensus autem legis est, ut tignus, licet furtivus sit, à domino vindicari non possit, ne sit opus diruere ædificium, L. 1. ff. De tigno juncto; quamvis furtivus ille ædificator per L. 23. §. 6. ff. De rerum vindicatione possit cogi, non tantum ad solvendum duplum, sed etiam ad triplum, & quando ædificium diruitur, etiam ad reddendum tignum, quamvis duplum solverit, *Haun. n. 123 & 130.* Est autem communior sententia contra *Mynsing. & Wesenb.*, etiam bonæ fidei ædificatorem posse cogi ad duplum pro tigno, quia L. 6. ff. Ad exhibendum, absolutè dicitur posse de tigno juncto agi actione in duplum; neque id eo punitur bonæ fidei ædificator, sed adhuc minus exigitur ab eo, quàm exigi posset, nam posset cogi, ut ædificium dirueret ac tignum redderet domino: dici tamen potest ideo per legem relata tam ita statui, quia præsumitur mala fides, hinc *Haun. n. 125.* putat contra illum, qui sibi conscius esset de bona fide, non dandam actionem, nisi in factum ad simplicium; possetque ædificator, etiam malæ fidei, si mallet, reddere tignum loco dupli, uti habet communior cum *Haun. n. 132.* contra *Gilken. & Hunnium*, id enim nullâ lege prohibetur.

129 §. 15. In Instit. suprâ §. 30. sic statuitur; ex diverso, si quis in alieno solo ex sua materia domum ædificaverit, illius sit domus, cuius & solum est, sed hoc casu materia dominus proprietatem ejus amittit, quia voluntate ejus intelligitur alienata, utique si non ignorabat se in alieno solo ædificare, & ideo licet diruta sit domus, materiam tamen vindicare non potest. Ex hac lege colligitur illum, qui sciens ædificavit in alie-

no fundo, nequidem pretium materiæ posse repetere, quia cum sciverit ædificia solo cedere, præsumitur voluisse adicere & donare fundo, L. 7. §. 12. ff. De acquir. rer. domin. Si tamen omnino sciretur non fecisse animo donandi, videtur posse repetere, quamvis sciens fecerit, nam L. 2. Cod. De rei vindicatione sic statuitur, si ædificium fuerit dissolutum ejus materiam ad pristinum dominum redire, sive bonâ sive malâ fide exstructum sit, si non donandi animo fecerit: de quibus tamen legibus conciliandis alias sex Auctorum responsiones affert Haun. à n. 136., sed hæc videtur facilior.

§. 16. Si Titius ædificaverit in fundo Caji ex materia Sempronii, hic retinet dominium suæ materiæ poteritque repetere diruto ædificio, nisi prius compensatum sit ei pretium, vel à Titio vel à Cajo, Haun. n. 135.

§. 17. Qui in alieno solo etiam bonâ fide ædificavit, si ipsemet non possideat ædificium, stricto jure non potest quicquam repetere, L. 33. ff. De conditione indebiti: ex æquitate tamen, etiamsi malâ fide fecerit, potest repetere pretium materiæ & expensarum, secundum æstimationem utilitatis, uti ei conceditur L. 38. ff. De petit. heredit. & rectè docet Haun. n. 142. Ills. n. 271. aliique.

§. 18. In Instit. suprâ §. 31. sic statuitur: Si Titius alienam plantam in solo suo posuerit, ipsius est, & è diverso si Titius suam plantam in Mævii solo posuerit, Mævii planta erit, si modò utroque casu radices egerit, antè enim, quam radices egerit, ejus permanet, cujus fuerat, adeo ut si vicini arbor in terram Titii ita presserit, ut in ejus fundum radices egerit,

rit,



rit, Titii effici arborem dicamus, ratio enim non permittit, ut alterius arbor esse intelligatur, quam cuius in fundum radices egerit, & ideo prope confinium arbor posita, si etiam in vicini fundum radices egerit, communis sit. Notat tamen rectè Haunol. n. 143. ut arbor vicina fiat mea, non esse satis, quòd radices aliquas, & etiam aliquos ramos projiciat in fundum meum, sed requiri, ut origo seu truncus in meo fundo crescat, uti habetur L. 6. §. 2. ff. *Arborum furtim cæsarum*, ubi etiam statuitur non licere mihi succidere radices & ramos se nimium porrigentes, sed dari mihi actionem contra alterum, ut vel ipse tollat, vel damnum compenset; quòd si monitus non fecerit, docent aliqui cum Schneidew. me posse succidere & mihi tollere, per L. 1. & 2. ff. *De arboribus cædendis*.

133 §. 19. In Instit. suprà §. 32. sic statuitur: *Quà ratione plantæ, quæ terræ coalescunt, solo cedunt, eadem ratione frumenta quòque, quæ sata sunt, solo cedere intelliguntur*: additur tamen, si bonâ fide se verit, posse impensas repetere; è contrà si se verit malâ fide, Haunol. n. 145. putat idem esse dicendum, quod n. 129. diximus de ædificatore, si enim non possit præsumi voluisse donare, dicit posse repetere impensas, sicuti omnes concedunt eum, si fundum possideat, posse sibi eas compensare ex fructibus, nisi dominus fundi illas refundat, & ita videtur statui L. 38. ff. *De rei vind.*

134 §. 20. In Instit. suprà §. 33. sic statuitur: *Litteræ, licet aureæ sint, perinde chartis membranisque cedunt, ac solo cedere solent ea, qua in ædificantur aut inseruntur*. Notant tamen Haunol. n. 147. & Ills. n. 272. nunc consuetudinem prævaluisse, ut charta cedat scripturæ, etiamsi malâ fide esset conscrip-  
pta,

pta, quamvis scriptor tum conveniri posset actione furti in duplum, præter æstimationem chartæ: si autem bonâ fide fecerit, satis erit restituere æqualem vel ejus pretium.

§. 21. In Instit. supra §. 34. statuitur, ut tabula aut tela cedat picturæ, ridiculum est enim, inquit *Justinianus*, picturam *Apellis* vel *Parrhasii* in accessionem vilissimæ tabulæ cedere: debet tamen domino tabulæ pretium persolvi: & per hanc legem derogatur sententiæ *Pauli* jurisc: l. 23. §. 3. ff. *Dereivindic.*, qui vult picturam cedere tabulæ. 135

Q. 32. An debeat restitui, quod per alluvionem accessit. R. §. 1. Quod per alluvionem agro tuo flumen adjicit, jure gentium tibi acquiritur, (nec teneris restituere vel compensare quicquam alteri damnum passo) est autem alluvio incrementum latens: per alluvionem autem id videtur adjici, quod ita paulatim adjicitur, ut intelligi non possit, quantum quoque temporis momento adjiciatur: quod si vis fluminis de tuo prædio partem aliquam detraxerit & vicini prædio attulerit, palam est eam tuam permanere: planè si longiore tempore fundo vicini tui hæserit, arboresque, quas secum traxit, in eum fundum radices egerint, ex eo tempore videntur vicini fundo acquisitæ esse. Insula, quæ in mari nata est, occupantis est, nullius enim esse creditur: at insula in flumine nata, siquidem mediam partem fluminis tenet, communis est eorum, qui ab utraq; parte fluminis prope ripam prædia possident, pro modo scilicet latitudinis cujusque fundi, quæ prope ripam sit: quod si alteri parti proximior sit, eorum est tantum, qui ab ea parte prope ripam prædia possident: quod si aliquâ parte divisum sit flumen, deinde infra unitum, agrum alicujus in formam insulæ redegerit, ejusdem permanebit is ager, cujus & fuerat: quod si naturali alveo in

transversum derelicto ad aliam partem fluere coeperit, prior quidem alveus eorum est, qui prope ripam ejus prædia possident, pro modo scilicet latitudinis cujusque agri, quæ prope ripam sit; novus autem alveus ejus rursus esse incipit, cuius & ipsum flumen est: quòd si post aliquot tempus ad priorem alveum reversum fuerit flumen, rursus novus alveus eorum esse incipit, qui prope ripam ejus prædia possident: alia sanè causa est, si cuius totus ager inundatus fuerit, neque enim inundatio fundi speciem commutat, & ob id si recesserit aqua, palàm est eius fundum eius manere, cuius & fuit. Hæc omnia verbotenus habentur in Instit. De rer. divis. §. 20. & seqq.

137 §. 2. Incrementum latens, seu quasi insensibile alluvionis, accrescit etiam usufructuario, quoad fructus, non tamen incrementum patens id est, sensibiliter factum, uti habetur L. 9. §. 4. ff. De usufructu: incrementum latens & patens accrescit emphyteutæ, videturque etiam probabilius, quòd latens accrescat feudatario; an autem accrescat etiam patens, discrepant AA: apud Lugo d. 6. n. 157.

138 §. 3. Quando arbor per vim fluminis translata increfcit alieno fundo, acquiritur domino hujus fundi, uti suprà dicitur: Nec obstat L. 5. §. 3. ff. De rei vind., quæ videtur dicere oppositum, nam omiffis variis explicationibus, quas refert Hætt. nol. à n. 92., ibi tantùm dicitur, quòd Varus & Nerva dabant utilem actionem priori domino, nunc autem non ampliùs datur talis actio.

139 §. 4. Ut sciatur, an insula nata sit in media parte fluminis, Barto: dicit latitudinem fluminis esse in tres partes æquales dividendam; quòd si  
insula

insula teneat partem, quæ in medio est, putat dividendam secundum proportionem majoris vel minoris vicinitatis; si tota sit extra partem, quæ in medio est, tota cedit ripæ, cui est proximior: *Haunol.* n. 98. putat totam insulam spectare ad ripam A., si nihil notabile se extendat ultra medium ad ripam B., & vice versâ: si autem se notabiliter extendat ultra medietatem, dicit hanc partem pertinere ad ripam alteram.

§. 5. Si flumen non naturaliter, sed agentibus hominibus mutet alveum, damnum ex novo alveo proveniens compensari debet domino fundi, in quem novus alveus inducitur, quod fiet, si prior alveus illi assignetur, uti dicunt *Molin.* & *Lugo* n. 155. Addit *Haunol.* n. 101. ex aliqua etiam æquitate fieri, ut novus alveus per flumen factus, & postea desertus restituatur priori domino, quamvis in rigore non sit obligatio ad hoc. De dominio maris, videri potest *Grotius* l. 2. c. 3.

Q. 33. Quid notandum sit circa restitutionem rei alienæ, ex qua quis factus ditior. *R.* Seqq. §. 1. Tum quis dicitur ex re aliena fieri ditior, si ratione illius habeat, quod alioqui non haberet, v.g. quia illam vendidit, & ejusdem pretium habet; quia permutavit cum alia re, quam habet; quia per illam de se fructiferam lucratus est, quia habet fructus ex ea progenitos; quia illam consumpsit, & sic pepercit rei suæ.

§. 2. Si quis bonâ fide sit usus pretiosâ veste alienâ, & sic pepercit suæ viliori, tenetur tantum restituere valorem eius, quod de vili veste sua attrivisset, quia solum in hoc factus est ex ve-

ste aliena ditior: si autem res sua, cui pepercit, fuit pretiosior re alienâ, quâ usus est, non tenetur alteri restituere nisi valorem rei, quâ usus est, quia non est factus ditior ex illa re aliena, sed tantum occasione illius plûs habet per rem suam, cui pepercit, alter autem recipit, quod ex re sua est consumptum, *Lugo d. 17. n. 11. Dicast. de Rest. d. 5. n. 19.*

143 §. 3. Si res aliena pereat apud possessorem bonæ fidei, etiamsi cum culpa ejus pereat, v. g. quia voluntariè combussit, nihil tenetur restituere, non ex re accepta, quia non est factus ditior, neque ex iniusta acceptione, quia cum nesciverit esse alienam, non fecit formalem injuriam alteri, ita cum communi *Dicast. n. 15. & 20. contra Adrian. & Sotum.* An Cajus debeat restituere pretium, quod ipsi dederat Titius pro obtinenda re aliqua, si Cajus hanc illi obtinuerit gratis, dictum est p. 1. n. 1046.

144 Q. 34. An Cajus teneatur restituere, si aliquid habeat per contractum injustum bonâ fide initum cum Titio. R. Si postea deprehendat se ita lucratum esse, *Less. in auct. v. Rest. cas. 5. & v. Societas officiorum cas. un. Sa v. Usura n. 8.* dicunt in conscientia non teneri restituere, si alio titulo tantundem à Titio lucrari potuisset, v. g. per censum annum, favetque *Sanctarell. in Resolut. p. 1. q. 46. n. 11.*, sed dicendum est teneri Titio restituere, quantum factus est ditior, si Titius præsumi non possit consensisse in hunc alterum contractum, uti rectè *Lugo d. 24. s. 9.* Vide dicenda n. 924.

145 Q. 35. Ad quid teneatur, qui bonâ fide rem fur-

tivam

tivam emit aut vendidit, aut pro re sua accepit pretium furtivum. R. Omnia ista resolventur postea à n. 961. An autem res furtiva possit reddi furi, si prævideatur non redditurus domino, dictum est à n. 98.

Q. 36. Quid addendum sit circa restitutionem <sup>146</sup> fructuum bonâ fide perceptorum ex re aliena: item circa compensationem melioramentorum vel expensarum. R. De his dicetur à n. 204.

## A R T I C U L U S II.

*Quid debeat restitui ab inferente injuriam formalem, seu malæ fidei damnificatore seu possessore.*

Resp. Id juxta supradicta æstimandum à<sup>20</sup> quantitate tum juris, quod alter habet; tum <sup>147</sup> damni, quod injustè infertur; cui æquale reddi debet, nisi aliud de damnificati merite & consensu rationabiliter præsumatur. Unde <sup>20</sup> resolves.

I. Si damnificatus habeat jus in re, in qua <sup>20</sup> damnum est passus, restitutio ei faciendâ est in <sup>20</sup> solidum: si autem tantùm habeat jus ad rem, <sup>20</sup> restitutio faciendâ est pro quantitate juris, <sup>20</sup> consideratis circumstantiis: quia non debetur <sup>20</sup> solidus valor rei, quæ expectabatur, cum tan- <sup>20</sup> tum sit in spe, & multis modis possit inape- <sup>20</sup> diri.

F 3

M. Qui

n. 253.

II. Qui in loco publico suæ civitatis, contra  
justam prohibitionem pascit; vel ligna cædit,  
non tenetur ad restitutionem, nisi communita-  
ti graviter nocuerit, v. g. stirpes incidendo, ar-  
bores ædificiis idoneas sternendo: quia ratio-  
nabiliter præsumitur mens Reip. non esse, suis  
membris usum publicorum locorum rigidius  
prohibere, quàm sub multa solvenda, casu  
quo deprehendantur.

III Gravius tamen peccaret, & teneretur ad  
restitutionem, si quis pasceret in loco alicujus  
privati: etsi etiam hic præsumi aliquando possit  
de consensu domini, qui sæpe non intendit, ut  
fiat restitutio, sed ut deprehensus pœnam luat.

n. 256.

IV. Qui venantur, vel piscantur in locis alteri  
locatis, vel aliàs prohibitis, (saltem si ea conclu-  
sa vel circumseptata non sunt,) non peccare mor-  
taliter, nec teneri ad restitutionem, docet *Diam.*  
*ex Less. Dicast. &c. p. 9. t. 9. R. 39. contra Bon. &c.*

n. 268.

V. Etsi probabilius sit, & in praxi communi-  
ter tenendum, peccari mortaliter circa vectiga-  
lium fraudationem, ex eaque oriri obligatio-  
nem restitutionis: non omnino tamen impro-  
babiliter id alii quidam negant, eò quòd con-  
suetudo interpretetur, non esse mentem legisla-  
torum ad aliud obligare, quàm ut deprehensi  
mulctentur, v. *Nav. c. 23. Sa V. Gabella. Bon. ro. 2. de*  
*restit. in partic. q. 9. p. 1. n. 5. ex Nav. Fil. t. 28. n. 114.*  
*Less. Mol. d. 9. Dia. tr. de leg. Res. 19. Lay. l. 3. t. 3. p. 1.*  
*c. 3. n. 4. & 5. vld. etiam Dia. p. 1. t. 11. R. 38. & p. 2.*  
*t. 17. R. 28. ubi ex Caj. Med. Sor. &c. docet non*  
*esse negandam absolutionem pœnitenti, qui*  
*defraudavit gabellas, seu vectigalia imposta re-*  
*bus iis, quæ emuntur, non ad negotiationem,*  
sed

sed ad proprios, vel familiæ necessaria, v. g. panis,  
carnibus, piscibus, frumento, oleo, &c.

VI. Cæterum ordinariè injustus, seu malæ fi-  
dei damnificator aut possessor, tenetur non tan-  
tùm restituere rem ablatam, & fructus perce-  
ptos (exceptis suis expensis, & industriâ) sed et-  
iam sarcire damnum emergens, & lucrum ces-  
sans, cùm verè sit iniusta causa talium damno-  
rum. Unde si dominus re suâ retentâ, per cultu-  
ram vel negotiationem percepturus fuisset ex  
agro suo, aut pecunia centum florenos, & alter  
parum vel nihil, debet is domino suo satisfacere  
pro centum illis florenis: quamvis commu-  
niter soleant domini plurimùm remittere, si res  
componatur. *Laym. lib. 3. tr. 2. cap. 4. n. 7.*

VII. Si res aliena, dum iniustè detinetur, cre-  
scat, aut pretium eius augeatur, domino crescit,  
ac proinde id ei præstari debet. *Vid. Laym. hic.*

VIII. Si res aliena, dum injustè detinetur, pe-  
reat, aut deterior fiat, idque casu vel justâ hosti-  
um incurfione, vel naturaliter, & certum sit  
apud dominum æquè perituram fuisse, non te-  
netur alter restituere: quia nihil novi detrimen-  
ti domino apud furem v. g. accidit, quod non a-  
pud ipsum. Si verò nõ fuisset peritura apud do-  
minum, vel saltem non nisi per iniuriam, tunc  
injustus detentor adhuc tenetur ad restitutio-  
nem; licet sine sua culpa res perierit. *Laym. 2.*

IX. Si res aliena apud iniquum detentorem  
pereat, idque ipsius culpâ, aut quia is absumpsit,  
alteri donavit, destruxit, &c. tunc etiam si domi-  
no relicta, fuisset certò peritura, nihilominus  
tenetur pro ea domino satisfacere, ut est com-  
munis apud *Lay. l. c. Less. l. 2. c. 12. n. 96. &c.*



» X. Qui fingens se pauperem, vel alium, quàm  
 » est, extorsit eleëmofynam, non tenetur restituere,  
 » re, si parva fuit, qualis ostiatim mendicanti-  
 » bus datur: secus si fuit magna; tunc enim, quia  
 » subintelligitur conditio hæc, (si pauper es) tene-  
 » tur restituere, secundùm *Mol.* danti; secundùm  
 » *Palauum* vel danti, vel aliis pauperibus. *Vid. Escob.*  
 » *t. 3. E. 2. c. 6. n. 109.*

» XI. Qui in extrema necessitate consumpsit,  
 » quod antè acceperat commodatum, conductũ,  
 » vel precarium, non tenetur restituere, quia nec  
 » ratione rei acceptæ, cùm ea, nec in se, nec in pre-  
 » tione extet; nec ratione acceptionis, cùm jure eam  
 » consumpsit, nec ratione contractũs, cùm hic  
 » non obliget, nisi re pereunte tuâ culpâ. *Less. l. 2.*  
 » *c. 16. n. 5. Hurt. Tur. Dian. p. 5. t. 8. R. 10.* Imò  
 » probabiliter nè quidem id, quod ante illam ne-  
 » cessitatem eras furatus, & in ea consumpsisti,  
 » quia furtum tibi non ademit jus, quod ad rem  
 » tali casu habebas. *Kon. Palauus, Hurt. Dian. R. 8.*  
 » contra *Less. & Vasq.* sicut neque si in ipsa neces-  
 » sitate accepisses & consumpsisses. *Dian. R. 9. ex*  
 » *Azor & 6. alius contra Less.*

## A D D E N D A.

148 Q. 37. An obligatio restituendi nascatur ex actione  
 iniusta, sed non damnosa. R. De hoc dictũ est à n. 16

Q. 38. Si actio damnosa non sit de se iniusta, at-  
 tamen sit infecta vitio interno iniustitiæ, an causet obliga-  
 tionem restituendi, v. g. si Titius suaserit Cajo, ut  
 non faceret testamentum, quia prævidebat futu-  
 rum, ut Cajus illud faceret in gratiam Sempronii,  
 Titius autẽ dissuaserit ex intẽtione nocendi Sem-  
 pronio, ne hæreditatem acciperet. R. Probabilius  
 videri, quòd nõ causet obligationem restituendi,  
 ideoque

ideoque Titium non teneri aliquid restituere Sempronio, ita *Nav. Vasq. Turr. Sanch.* in Conf. L. 2. c. 1. d. 49. n. 6. *Castrop.* de Benef. d. 2. p. 11. §. 5. n. 3. *Dian.* p. 11. t. 2. R. 34. *Esp.* q. 35. *Tambur.* L. 8. t. 3. c. 2. §. 3. *Haun.* t. 2. n. 230. *Petsch:* p. 156. *Herin.* de Just. d. 5. n. 6. aliique multi, contra multos, quos citat & sequitur *Lugò* d. 8. à n. 74., quorum sententia etiam est valde probabilis, eamque videtur sequi *S. Th.* 2. 2. q. 62. a. 2. ad 4. Ratio nostra est, 1. quia alter non habet jus ad omissionem actionis illius externæ, hæc enim de se non est injusta, uti suppono; dato autem, quòd habeat jus ad omissionem actionis internæ, sicque per intentionem illam internam peccetur contra justitiam, hæc tamen intentio interna non est causa damni, sed sola actio externa, quæ sola damnosa est, ergo sicuti non est obligatio restituendi pro voluntate interna furandi, si furtum non sit secutum, quamvis voluntas interna furandi sit contra justitiam, ita nec erit obligatio restituendi pro intentione interna damni, si intendatur per actionem de se non injustam. Et ratio à priori est, qui hoc damnum æqualiter sequeretur ex actione externa de se æquè damnosa, sive hæc actio externa procederet à mala intentione, sive non, ergo ex hoc, quòd procedat à mala intentione, non ideo est damnosa, ergo non ideo est obligatio restituendi. Adde probabiliter etiam dici, quòd in tantum sit jus ad actiones vel omissiones internas, in quantum hæc necessariae sunt vel conducunt ad actiones vel omissiones externas, ad quas est jus, sed non est jus ad talem omissionem externam, uti dictum est, ergo nec ad internam, & conse-

quenter actio interna, quâ intendit damnum alterius, erit tantum affectivè contra jus, non autem effectivè. 2. Si propter actionem externam cum tali intentione positam deberetur restitutio, ergo mercatores, opifices & homines passim tenerentur restituere, qui ex invidia vel malevolentia ponunt actiones de se justas & licitas, materialiter autem damnosas, v. g. invitando emptores ad suas officinas cum intentione sic damnificandi alium mercatorem vicinum, est autem contra sensum communem velle talem obligatum ad restituendum, ergo.

149 *Objiciunt* 1. L. 1. §. 12. & L. 2. §. 9. ff. *De aqua pluvia arcenda*, dicitur contra eum, qui fontem vel aquæductum avertit, non posse agi, si non fecerit animo nocendi: ex quo videtur colligi, posse contra eum agi, si fecerit animo nocendi, ergo tum tenebitur damnum illud compensare. R. N. consequens, ex hoc enim, quod possit contra eum agi, tantum sequitur posse illi intentari actionem de dolo, si aquam averterit sine causa rationabili, poterit enim à Judice damnari ad compensationem damnorum, si monitus non destiterit ab hoc, inde autem non sequitur ex natura rei vel ex conditione actionis sic positæ nasci obligationem restituendi.

150 *Obj.* 2. Qui cum intentione causat tales effectus, ille est causa per se & efficax illorum, ergo ipsi imputatur, quidquid ex illis sequitur, ergo ipsi imputantur damna, ergo obligatur ad ea reparanda. R. Est causa illorum, per actionem externam effectivè injuriosam, N., per actionem externam non injuriosam effectivè, C. Ant., ergo quidquid ex illis sequitur, ipsi imputatur, ad  
cul-

culpam, quæ externè effectivè sit contra justitiam, N.; quæ externè sit fortè contra charitatem, internè autem sit tantùm affectivè contra justitiam, permitto 1. sequelam, sed N. ultimam.

*Obj. 3.* Quamvis aliquis habeat jus equitandi <sup>151</sup> ex rationabili causa, licet prævideat pollutionem, tamen non habet jus equitandi intendendo pollutionem, sed ideo equitans peccat contra castitatem, ergo etiam quamvis Titius habeat jus dissuadendi testamentum, prævidens damnum Sempronii, tamen non habet jus dissuadendi eo fine, ut hoc damnum sequatur, sed ideo dissuadens peccabit contra justitiam, ergo tenebitur ad restitutionem, ita *Lugo. R. 1.* Si argumentum valet, ergo Titius peccat contra justitiam, si ommittat suadere testamentum, intendendo ut Sempronius patiatur illud damnum, sicuti peccaret contra castitatem, omittendo gestare cilicium, intendendo pollutionem, quod tamen *Lugo* negat, ergo evidens est esse disparitatem inter reliquas virtutes & justitiam; hinc *Respondet 2. Haun. n. 236. N. conseq.*, castitas & reliquæ virtutes intendunt medium rationis, id est, pro fine habent honestatem, non præcisè ex re, sed secundùm varias circumstantias determinandam à recta ratione, recta autem ratio dicit salvâ castitate non posse intendi pollutionem etiam per actiones de se indifferentes, quia per has eadem incommoda sequerentur, quæ per actiones de se inhonestas, hinc actiones de se indifferentes intentæ sunt contra finem castitatis: E contra justitia intendit medium rei, id est, hoc, quod secundùm se est debitum à parte rei, nec determinatur secundùm hanc vel illam intentionem, v.g.  
inten-

Intendit hanc dationem 10: aureorum, quos exigit jus alterius, nec plus nec minus, quæ datio, si non exigatur à jure alterius, sive ego intendam illam ponere sive omittere, non ero justus vel injustus, ergo cum emolumentum, quod Sempronius reportaret ex testamento Caji, non exigatur à jure Sempronii, sive illud intendam promovere sive impedire, non pecco contra justitiam. R. 3. Cum Diana supra, N. ultimam conf., nam dato per illam intentionem peccari contra justitiam, uti etiam peccatur per volitionem furandi, non ideo est obligatio restituendi, quia illa intentio non expletur per actionem externam iniuriosam.

152 *Instab.* Titius non habet jus ad suasionem externam ex tali fine ponendam, ergo suasio externa ex tali fine posita est iniuriosa. R. Si sensus antecedentis sit, non habet jus ad intentionem illam, aut ad hoc complexum, quod est intentio & suasio, c; non habet jus ad suasionem externam secundum se, n, ergo suasio externa ex tali fine posita est iniuriosa, ratione suasionis secundum se, n, ratione intentionis, c, sed non ideo est obligatio restituendi, cum hæc tantum sequatur iniuriam externam.

153 *Obj. 4.* Arripere librum alienum est actio externa de se indifferens, quæ per solam intentionem fit iniusta, si enim arripas animo furandi, est iniusta; si arripas animo tantum inspiciendi, non est iniusta, ergo similiter actio externa de se indifferens poterit fieri iniusta vel non iniusta ratione solius intentionis, ex qua ponitur. *Respondet 1: Haun: n. 242. dist. conseq.,* ergo actio externa de se non damnosa, qualis actio est arreptio libri,

libri, poterit fieri iniusta ratione intentionis, c, nam ratione intentionis fit damnosa, ergo non est mirum, quòd ratione intentionis fiat iniuriosa: ergo actio externa de se æqualiter damnosa ex quacumque intentione procedat, qualis est diffusio testamenti alioquin faciendi pro Sempromio, poterit fieri iniusta ratione solius intentionis, n. conseq. R. 2. Permittendo totum, jam enim ostendimus, quamvis actio interna sit iniuriosa, si tamen non expleatur per actionem externam secundum se iniuriosam & damnosam, non ideo esse obligationem restituendi.

*Obj. 5.* Si solatii causâ manifestem Cajo iniuriam mihi à Titio factam, non pecco, uti dicitur n. 1209: , attamen pecco & quidem contra justitiam, si manifestem animo infamandi Titium, ergo externa actio potest esse contra justitiam ratione solius intentionis internæ. R. N. conseq: , qui dicunt licitum esse manifestare iniuriam sibi factam, dicunt consequenter, si adsint circumstantiæ, quibus hoc licet, non fore contra justitiam manifestare talem iniuriam, etiam si simul adesset intentio infamandi alterum, id enim planè per accidens est, sicuti si ad avertendum gravissimum malum Reip: haberem jus manifestandi prodicionem Titii, non peccarem contra justitiam, si etiam ex odio, quia hostis meus esset, & gaudens de ejus damnis, eam prodicionem manifestarem.

*Q. 39.* An teneatur restituere, qui facit aliquid, quod imputabitur alteri, si hic alter ideo patiatur damnnum. R. §. 1. *Vasq.* dicit teneri, si hoc præviderit, sed alii communiter negant cum *Mol. Sanch. & Less.* etiam si delictum commisisset, alio-  
qui

qui non commissurus, nisi prævídisset se fore impunem, eò quòd alteri esset imputandum, uti habet *Lugo* d. 8. n. 85. Ratio est, quia si damnum non sequatur ex natura, vel communiter ex positione talis actionis, sed ex ignorantia vel malitia aliorum, actio non censetur alteri iniuriosa, non enim est propriè causa, nisi per accidens, & tantùm occasio illius damni, quod ex iustitia non tenetur impedire, sed tantùm ex charitate, si possit sine gravi incommodo.

156 §. 2. Si occidam Titium, etiam intendens, ut hoc homicidium imputetur Caio, ideoque Caius patiatur damna, probabile est me non teneri ideo quicquam restituere Caio, quia actio, quæ occidi Titium, non erat iniuriosa Caio, intentio autem mea eum damnificandi non erat de se causativa damni, uti n. 148. dictum est, sed damnum secutum est ex errore hominum, qui ex conjecturis imputarunt homicidium Caio, ita *Sanch. Less. Tambur. Petsch.* pag. 157. aliique cum *Diana* p. 11. t. 2. R. 34. Tenebor tamen Caio resarcire damna, quæ ipse debuerit compensare hæredibus Titii, uti omnes fatentur cum *Lugo* n. 84., & certum esse dicunt *Petsch. & Dicast.* de Restit. d. 3. n. 76., quia tenebar ipse ea damna resarcire hæredibus Titii, ergo cum Caius hoc fecerit loco meo, tenebor hoc compensare Caio, aut certè adhuc immediatè resarcire hæredibus Titii, ut hi Caio restituant, quod ab illo acceperunt.

157 §. 3. Si actio vel circumstantiæ, quas posui, dum occidi Titium, moraliter influxissent in imputationem faciendam Caio, v. g. si me induissem vestibus Caji, aut fuissem usus ejus gladio,

dio, quem adhuc sanguinolentum reposuissem in vaginam eius, & ipse inde habitus esset velut homicida, tum fecissem etiam externam injuriam Caio per iniquam fraudem, ideoque tenerer reparare damna causata Caio, uti omnes docent: Tum autem censetur actio moraliter influere in imputationem, si ex illa, ut plurimum sequatur imputatio, uti habet *Less.* l. 2. c. 9. n. 114. Limitant *Petsch: & Tambur.* l. 6. c. 4. §. 1. n. 4., nisi quis in ejusmodi actione utatur jure suo, qui enim utitur jure suo, nemini facit iniuriam, licet peccare possit contra charitatem, si parum intersit ipsius hic & nunc tali jure uti.

§. 4. Si cadaver Titii occisi ponam ante domum Caji, intendens ut Caio imputetur homicidium, qui ideo patiatur damna, *Tamb.* n. 5. dicit me non teneri ea resarcire; quia non videor moraliter influxisse in imputationem, neque ideo, inquit *Lugo* supra, est prudens causa, sed tantum levis occasio inquirendi in Caium: oppositum tamen tenet *Sanch:* in *Conf.* l. 1. c. 5. d. 5. n. 72., tum quia saltem ex parte cooperor imputationi, ergo saltem partialiter teneor ad damna, secundum dicta de cooperatoribus: tum etiam quia per fraudem videor inducere Caium ad hæc damna, ergo sicuti teneor compensare, si per fraudem aliquem impediam à consecutione boni, secundum dicta n. 69. ita multò magis, si per fraudem inducam in aliquod damnum.

Q. 40. Ad quid teneatur, qui exponit infantem, aut ante ostium alienum collocat. *R.* §. 1. Si homo dives ex justa causa, v. g. ne patiatur infamiam, noctu exponat suam prolem, ita ut inventa ferri debeat ad hospitale, communior sententia est,



est, quòd teneatur hospitali restituere expensas pro illius nutritione, quia talia hospitalia sunt instituta pro infantibus egenis, ita *Laym.* aliique multi cum *Lugo* d. 13. n. 4. contra *Henriq.* & paucos alios, qui putant esse instituta, non tantum propter inopiam parentum, sed maxime propter periculum prolium, quæ ad tegendam infamiam sæpe occiderentur, nisi sic exponi possent; quod videtur probabiliter dici, sed prima sententia est probabilior.

160 §. 2. Qui invenit infantem ante ostium suum & illum ponit ad ostium alterius, qui ideo facere debet expensas, non peccat contra iustitiam, qui hunc non inducit in obligationem iustitiæ ac providendum infanti, sed tantum dat occasionem exercendæ misericordiæ; hinc nec videtur peccare contra charitatem, uti nec peccaret, si aliquem extremâ necessitate laborantem mitteret ad Caium, ut ipse ex charitate teneretur ipsi succurrere, ita *Sanch.* in Conf. L. 1. c. 5. d. 5. à n. 70. *Lugo* d. 18. n. 114.

161 Q. 41. An aliquando sit obligatio restituendi eleemosynas acceptas. R. §. 1. Qui se pauperem finxit, & ita accepit eleemosynam, tenetur hanc restituere, ita *Vasq.* *Lugo* in Resp. mor. L. 6. d. 17. *Dian.* p. 5. t. 8. R. 21. Ratio est, quia dans erravit in substantia, intentio enim ejus erat facere eleemosynam, id est, sublevare miseriam pauperis, & motivum dandi fuit paupertas, ergo si non adfuit inopia & paupertas, non voluit transferre dominium: Rectè tamen notant *Mol. Sor.* *Fagund.* *Dicast.* de Rest. d. 6. n. 96. plurimos esse, qui licet non darent, si fictionem scirent, si tamen dederint; modica, præsertim quæ consumpta

sumpta sint, nolint restitui. Addit rectè *Petsch.* p. 613. & *Dicast.* n. 97., si fraus sit tantùm circa modum, v. g. si se fingat pauperiorem, vel falsò dicat se fuisse captivum apud Turcas, non fore obligationem restituendi, nisi sic exclusus fuisset re ipsa miserior, quia datio manet simpliciter & quoad substantiam voluntaria; notat tamen rectè *Dicast.* n. 100., si se fingat, v. g. Italum, quales tantùm admittuntur ad certa hospitalia; obligandum ad restitutionem, quia hæ eleemosynæ ex fundatione solis Italis debitæ sunt.

§. 2. Etiam si quis actu non egeat ad victum, <sup>162</sup> si tamen immineat necessitas proxima, potest nunc petere & acceptare eleemosynas, quia quod in proximo est, reputatur præsens, & exigit hodiernam providentiam; sic ex *Baldo* docet *Dian.* p. 2. t. 1. R. 8. pauperem posse petere eleemosynas pro filia dotanda, etiam si non desint necessaria ad vitam suam & filia: idem est, si alicui incumbat onus matrem alendi, & *Lugo* suprâ dicit se non damnaturum eum, qui peteret pro fratribus vel sororibus indigentibus, nam *Sanch.* in Dec. L. 1. c. 14. n. 6. agnoscit aliquam obligationem legalem ad fratres alendos, & L. 4. c. 20. n. 30. etiam ad sorores: imò *Caj. Valent.* & idem *Sanch.* l. 7. c. 24. n. 14. dicunt divites posse petere eleemosynas, quando tales eleemosynas, aut æquè multùm è suis bonis erogant pauperibus; quod licet diviti permittat *Lugo*, si erogat pauperi extraneo, non tamen si fratri vel sorori, quia hi habent jus aliquod petendi alimenta à fratre, uti cum *Surdo* repetit *Sanch.* n. 6., ideoque adhuc com-

PELLI potest à Judice, & consequenter si talis frater est dives, ipsi non censentur pauperes. Deinde nec permittit *Lugo* in ejusmodi casu, quo diviti daretur eleemosyna ex speciali motivo necessitatis personalis ipsiusmet petentis, si enim peteret alteri, deficeret hoc motivum, adeoque fieret dolus dans causam donationi, ergo donatio esset invalida.

163 §. 3. Si, v. g. Eremita petierit eleemosynas pro sacello, cujus ædificium ipsi demandatum est, putat *Lugo* supra ipsi licere etiam inde vivere, quia inter necessaria illi loco etiam est victus talis procuratoris. Quòd si aliqua supersint, potest dare pauperibus, tam cognatis quàm extraneis, nam non indigens potest mendicata dare aliis pauperibus, ergo multò magis talis, nisi tamen eleemosynæ datæ essent ex speciali motivo sublevandi necessitatem personæ petentis, ut dictum est, aut ex speciali devotione ad locum.

164 §. 4. In casu, quo debetur eleemosynæ restitutio, adhuc dubium est, cui fieri debeat; *Caj. Nav.* & alii dicunt faciendam danti; *Sotus* & alii dicunt faciendam aliis pauperibus; *Vasq. Castrop. Tamb. & Petsch.* dicunt fieri posse, vel danti vel pauperibus, prout volet: *Mol. Lugo & Dian.* p. 5. t. 8. R. 22. distinguunt, si enim unus multum dedisset, putant huic esse restituendum; si autem multi dederint modica, dicunt satis esse dari aliis pauperibus, quia talis prudenter præsumitur esse voluntas eorum, qui dederunt.

An ille, qui habet speciale jus alicubi colligendi eleemosynas ad certum finem, possit hoc jus alteri elocare pro pretio, videri possunt dicenda

n. 1044.

Q. 42.

Q. 42. An dans operam rei illicitæ, quæ non est 165  
 contra justitiam, & per hoc causans damnum alteri, te-  
 neatur restituere, uti si Titius noctu laboret die fe-  
 sto, & ita incendat suam & Caji domum. R. Non  
 teneri, est communis cum Gob. in clyp. p. 2. n.  
 262, Ratio est, quia non peccavit contra justiti-  
 am, sed tantum contra religionem: ut tamen  
 ista melius explicentur, adde seqq.

1. Si noctu volens cum lumine accenso in- 166  
 gredi domum Caji ad furandum, casu accende-  
 ris horreum Titii, non teneris hoc damnum  
 compensare Titio, quia non est secutum ex for-  
 mali injuria contra Titium, quod magis confir-  
 mabitur ex dicendis à n. 200.

2. Si volebas noctu furari Caio pannum, & 167  
 cum lumine accenso ingressus, casu incendas ejus  
 domum, non teneris Caio compensare damnum  
 incendii domus, uti cum communi *Persch.* p. 163.,  
 quia incendium non prævidisti, & gestatio lumi-  
 nis non erat formalis læsio juris, quod Caius ha-  
 bebat ad domum suam, hæc enim gestatio non  
 afferebat proximum periculum incendii domus,  
 & tu adhibuisti ordinariam diligentiam, ne in-  
 cendium causaretur, uti suppono. Idem est, si in-  
 gressus domum ad furandum, præter volunta-  
 tem allifisti pedem ad aliquid & fregisti, uti con-  
 tra *Mol.* docet *Dicast.* de Rest. d. 3. n. 72.

3. Inposito jam casu, si ingressus domum 168  
 Caji ad furandum pannum, antequam fureris,  
 casu incendas domum Caji, cum qua pannus  
 comburatur, etiam non teneris restituere pre-  
 tium panni, quia obligatio restituendi non ori-  
 tur ex affectu furandi, sed ex furto in effectu posi-  
 to, quod hic non fuit. Quod si jam antè appre-  
 hen-

hendisses pannum, necdum tamen deportasses aliò, sed dum plura vis accipere, casu orto per candelam à te illatam incendio combureretur te invito etiam pannus, adhuc non tenereris restituere pretium panni, quia tua acceptio non fuisset causa efficax damni, pannus enim eodem modo fuisset comburendus, quamvis non attigisses, & gestatio candelæ non faciebat proximum vel prudens periculum incendii, sed per accidens illud causatum est.

169 4. Si furaturus noctu intraisti domum Caii aperto clam ostio, & postea egrediens relinquas ostium apertum, satis sciens periculum inde esse, ne etiam alii ingrediantur & furentur, si hoc fiat, teneris etiam ad hæc damna ab aliis furibus illata, quia actio aperiendi ostium & relinquendi apertum erat contra jus, quod habebat dominus ad conservationem rerum in domo sua clausarum, exponebas enim domum prudenti & proximo periculo direptionis, & quidem per se, quia occasio aperti ostii est de se allectiva furis. Omnia hæcenus dicta docent, & pluribus proponunt Lugo d. 18. à n. 86. Dicast. à n. 70. Tambur. L. 6. c. 4. §. 2. Sporer t. 4. c. 2. à n. 193.

170 Q. 43. *Quam culpam supponat obligatio restituendi ex acceptance vel damnificatione iniusta.* R. §. 1. Culpa alia dicitur Theologica alia Juridica: Theologica, est peccatum seu offensa Dei; Juridica, est ommissio diligentia debitæ, ex qua omissione sequitur incommodum, & dicitur 1. latissima, si sit apertus dolus; qui si fiat solo animo, dicitur calliditas; si verbis mendacibus, fallacia; si factis, fraus seu dolus falsus; si arte verborum

fine

sine mendacio, dicitur machinatio. 2. Latior, & est dolus præsumptus, cui annumeratur ignorantia iuris communis: & hæc culpa latior quandoque confunditur cum latissima vocaturque dolus. 3. Lata, & est omissio diligentia communitè à similibus hominibus adhiberi solita, ideoque re ipsa adjunctam habet positivam negligentiam. 4. Levis, & est omissio diligentia à providentioribus in re simili adhiberi solita. 5. Levissima, & est omissio diligentia exactissimæ: v. g. si librum tibi commodatum des furi, non dicens expressè, attamen intendens, ut furetur, est culpa latissima; si relinquant in domo færis, est latior; si relinquant alibi extra cubiculum tuum, est lata; si relinquant in cubiculo sed non clauso, est levis; si cubiculum clausisti, sed non tentasti postea, an esset bene clausum, si re ipsa non fuit clausum, est levissima: ex quibus patet cum culpa latissima, latiore & lata regulariter conjunctam esse culpam Theologicam, non item cum levi vel levissima.

§. 2. Jus positivum sæpe statuit, ut quis reparet damnum, quamvis causatum sit absque omni eius culpa, nam 1. Inst. & ff. *Si quadrupes*, si animal tuum pauperiem fecerit, id est, intulerit damnum alicui per se vel per aliud, quod incitavit, teneris pro noxa dare illud animal vel totum damnum reparare. 2. Instit., ff. & Cod. *De noxalibus actionibus*, si mancipium tuum ex sua, sed absque tua culpa intulerit damnum, teneris pro noxa tradere mancipium vel totum damnum reparare. L. 1. & penult. ff. *De his, qui effuderint*, si ex domo vel navi tua aliquid, etiam absque culpa tua sit effusum vel projectum, quod nocuit transeunti vel

adstanti, si non fuit clamatum, ut caveret sibi, tu teneris damnum reparare in duplum : & idem est, si aliquid è domo tua suspensum fuit supra viam, quod nocuit aut nocere potuit, uti ibid. L. 5. statuitur. 4. Instit. & ff. *Ad L. Aquiliam*, si quis cum culpa saltem juridica in rebus externis certo modo damnificaverit alterum, v.g. si leonem duxisti per viam, nec custodisti, quin noceret equo meo; si fodisti puteum in via, nec monuisti, ut caverem; si animal meum, quod reperisti in tuo prato, occidisti, cum aliter abigere posses, statuitur, ut ultra damnum tenearis mihi superaddere amplius, uti quandoque duplum: hæc aliaque plura videri possunt fusè deducta apud *Mol. T. 3. d. 712. & 713. Lugo d. 8. s. 3. & 4. Haun. t. 2. c. 2. contr. 4.*

172 §. 3. Spectato jure naturæ non est obligatio restituendi pro damno sine ulla culpa Theologica illato, ita *Less. Vasq. Tann. Lugo, Tamb. Pettsch. pag. 160. Dicast. de Restit. d. 3. à n. 7. Sporer t. 4. c. 2. n. 42. Jlls. t. 4. d. 3. n. 4. Probat*ur, quia quod fit sine culpa, moraliter imputari non potest: & etiam hæc est causa, cur nemo postulet reparari damnum, quod intulit fatuus aliquis, quia fecit sine culpa Theologica, & consequenter non potest illi moraliter imputari, sed habet se, ac si casu accidisset. *Ratio à priori* est, quia in foro conscientiæ non potest esse obligatio restituendi propter injuriam, nisi in foro conscientiæ commissa sit injuria, sed ubi nulla adfuit culpa Theologica, nulla fuit in foro conscientiæ injuria, ergo.

173 §. 4. Neque ex jure positivo (præscindendo à contractu) est in conscientia obligatio reparandi

randi damnum sine culpa Theologica illatum, *Viva fol. 229.*  
 nisi accedat sententia Judicis, ita *Mol. Vasq. Lugo n. 11.*  
*n. 49. Haun. t. 2. n. 172 & 176. Esp. qu. 26. Petsch.*  
*pag. 161. Jlls. n. 5. Probat*ur, quia leges ejusmodi  
 pœnales n. 171. relatæ forent nimis duræ, si ob-  
 ligarent ad exequendam in se ejusmodi pœnam,  
 propter actionem non imputabilem ad culpam;  
 & quamvis fortè hoc intendissent leges illæ, ta-  
 men non sunt in eo rigore receptæ, aut per usum  
 contrarium contra eas præscriptum est, nam ne-  
 mo est, qui propter talem culpam merè juridi-  
 cam sponte suâ restituat, ergo signum est non  
 obligare ante sententiam Judicis.

§. 5. Auctores, qui cum *Rebell.* dicunt has le- 174  
 ges fundari in præsumptione culpæ, consequen-  
 ter dicere debent, quòd damnificatus sciens il-  
 lum, qui damnum intulit, non peccasse Theolo-  
 gicè, non possit salvâ conscientiam contra illum  
 agere apud Judicem, adeoque tenebitur restituere,  
 si quid ei adjudicatum acceperit, quia præ-  
 sumptio cedit veritati, ergo lex fundata in præ-  
 sumptione, quæ scitur esse falsa, non ligat. E con-  
 trà qui cum *Mol.* dicunt has leges non fundari  
 in præsumptione culpæ, sed esse pœnales quasi,  
 ac pro fine habere, homines cautiores reddere,  
 item conservare communem pacem, dicent  
 consequenter posse damnificantem condici,  
 quamvis sciretur sine culpa Theologica damni-  
 ficasse, dummodo damnificarit cum Juridica,  
 quam leges requirunt, & secundum hanc senten-  
 tiam poterit retinere, quod per sententiam fue-  
 rit adjudicatum, ita *Dicast. n. 70.*

§. 6. Post sententiam Judicis est obligatio in 175  
 conscientia ad reparandum damnum etiam sine



Viva s. c. ibi sta

culpa Theologica illatum, ita omnes communiter cum *Mol. Haun. flls. n. 8.* contra *Rebell.*, qui putat tum esse obligationem tantum civilem. Ratio nostra est, quia aliàs sententia Judicis esset frustranea, damnificans enim posset non parere Judici & sententiam eludere: deinde non obtineretur finis legum, qui est major cautela pro evitandis ejusmodi damnificationibus.

176

§. 7. Potest ex contractu esse obligatio reparandi damna causata absque ulla culpa Theologica, uti rectè *Lugo n. 100. Petsch. pag. 193.* aliique communissimè, quia potest quis in se suscipere obligationem affecurationis circa omne periculum, ita ut si res quomodocunque pereat, velit pro ea restituere: tota difficultas est, ex qua culpa Juridica censeantur tum se velle obligare homines ad reparanda damna: communior sententia cum *Nav. Mol. Fasq. Lugo n. 99.* sic distinguit, si contractus fuit factus tantum in utilitatem accipientis, uti in commodato, accipiens tenetur ex culpa etiam levissima, & ita *Cap. un. De commodato dicitur, Cum gratiâ sui tantum, quis commodatum accepit, de levissima etiam culpa tenetur: & idem habetur Instit. Quibus modis re contrahitur obligatio, §. At is: item L. In rebus. ff. Commodati vel contra: Si autem fuit in utilitatem dantis, uti communiter in deposito, accipiens tenetur tantum ex culpa latiore & lata: denique si fuit in utilitatem utriusque, uti communiter fit in pignore, cōductione, locatione, accipiēs tenetur ex culpa latiore, lata & levi. Vide *Dicast. l. 2: t. 3. d. 1. dub. 18.**

177

§. 8. Probabile est, si abfuerit omnis culpa Theologica, non esse obligationem restituendi ratione talium contractuum, nisi post sententiam

tiam Judicis, aut saltem nisi damnificatus compensationem exigat, ita *Lugo* n. 103. *Ess.* q. 26. *Petsch.* pag. 198. *Spor.* n. 234. aliique cum *Jlls.*, qui n. 33. vocat in praxi tutum: Ratio est, quia obligatio videtur nasci ex legibus circa tales contractus factis, leges autem illæ videntur esse veluti pœnales seu conventionales, quæ non obligant ante sententiam Judicis, vel saltem non prius quàm ejusmodi pœnæ exigantur, uti multis relatis docent *Sanch.* de Matr. l. 1. d. 37. n. 4. & *Dian.* p. 2. t. 8. R. 29. *Dixi.* probabile esse, nam opposita sententia dicens esse obligationem, etiam ante sententiam, & quamvis non exigatur, est communior teste *Less.* L. 2. c. 7. d. 8. pro qua *Spor.* n. 233. citat *S. Thom.* *Nav.* *Mol.* *Vasq.* *Laym.*; *Jlls.* vocat probabiliorem: *Petsch.* dicit in praxi servandam esse, eò quòd leges ita disponentes sint consentaneæ naturali æquitati: imò *Om.* de contr. D. 10. n. 191. & totâ f. 6. probat obligationem illam restituendi oriri ex jure naturæ; videturque consentire *Dicast.* n. 440. Regula optima hic est, ut spectetur praxis, an nempe viri prudentes & timorati soleant restituere, antequam feratur sententia vel exigatur, & credo praxin communiorem fore, ut restituatur ante sententiam, si ille exigat, qui damnum passus est.

§. 9. Si quis equum conduxit, qui moriatur in via, *Palud. Valent.* & *Dian.* putant damnum debere dividi, cum enim contractus fit in gratiam utriusque, videtur æquum, ut quisque partem damni ferat; sed *Lugo* d. 8. n. 126. dicit solum dominum equi debere ferre damnum, quod verum est, si abfuit omnis culpa etiam juridica, sicuti ipse solus ferre deberet, si equus periisset

terræ motu vel fulmine, uti dicitur n. 181., ratio autem est, quia quando res absque cuiusquam culpa perit, domino suo perit.

179 §. 10. Qui precario utitur re alienâ, tenetur tantum ex culpa latiore & lata, quamvis enim hic contractus sit in utilitatem solius accipientis, tamen cum semper sit pro libitu revocabilis, non debet ex illo tanta oriri obligatio, quanta ex commodato, & ita habetur L. *Quæsitum* §. *Cum quoque* ff. *De precario*, docetque cum aliis *Petsch.* pag. 196.

180 §. 11. Si res æstimata tradatur in contractibus, v. g. si commodarim tibi equum, cuius valorem tibi antecederet dixi esse 50. aureorum, putant *Gloss. Bart. & Gomez* hanc æstimationem facere, ut accipiens teneatur de uno alio gradu, supra id, ad quod teneretur, v. g. si aliàs teneretur ex culpa lata, ut teneatur ex levi, si teneretur ex levi, ut teneatur de levissima, si teneretur de levissima, ut teneatur de casu fortuito; sed contrarium probabilius docent *7. Andr. Panor. Silo. Mol. Vasq. & alii cum Lugo* n. 122., æstimatio enim ideo fit, ut si culpâ accipientis pereat res, hic sciat, quantum teneatur restituere, & postea non fit lis de pretio: rectè tamen notant A. A. & dicitur n. 186., culpam seu negligentiam, quæ respectu unius est levis, posse etiam gravem respectu alterius, si hic majorem habeat obligationem cavendi quàm ille, v. g. accipiens gratis commodatum habet majorem obligationem custodiendi equum, quàm accipiens elocatum pro pretio; item elaborans gemmam pretiosam obligatur adhibere majorem diligentiam, ne vitiet, quàm elaborans cuprum, *Lug.* à n. 112.

§. 12.

§. 12. De casu fortuito regulariter nemo te- 181  
netur, quia est extra humanam prudentiam, ita  
omnes. Excipe 1. , nisi speciale pactum adfit. 2.  
Nisi commodatarius rem usurparit ad alium u-  
sum sibi non concessum, & ideo perierit. 3. Nisi  
idem fuerit in mora restituendi tempore debito;  
si tamen res eodem modo peritura erat apud do-  
minum, tantum tenebitur ad æstimationem usûs  
vel temporis longioris : quando autem perit ob  
diversum usum vel moram, *Lugo à n. 123. Petsch.*  
*pag. 197. Spor. t. 4. c. 2. n. 221.* secundum sua  
principia dicunt ad obligationem restituendi in  
conscientia debere præcessisse culpam gravem.

§. 13. Quando in communi periculo, v.g. in 182  
incendio salvenda est res propria vel aliena ,  
quam quis per contractum habet servandam ,  
*Silv. Gabr. Ang.* aliique cum *Vasq.* dicunt, si rem  
alienam habebat per contractum obligantem ex  
culpa lata, potest res proprias etiam viliores præ-  
ponere alienis , quia non tenetur adhibere nisi  
diligentiam communem : si autem habebat per  
contractum obligantem de culpa levi , potest  
propriam æquè pretiosam præponere alienis, sic e-  
nim non facit contra id, quod prudentiores faci-  
unt: denique si habebat per contractum obligan-  
tem de culpa levissima, poterit proprias tantum  
pretiosiores præponere alienis, hoc enim non est  
contra maximam diligentiam ab homine pru-  
dentissimo requisitam : *Mol. t. 2. d. 296.* paulò  
aliter loquitur, & dicit, commodatum pretiosius  
semper debere præferri proprio viliori , quia  
quivis prudens in communi periculo præponit  
pretiosius viliori; posset tamen plerumque re-  
petere pretium rei suæ vilioris ; uti è contra si  
rem

rem suam pretiosiore conservasset, quandoque obligaretur ad refundendum pretium vilioris alienæ: *Lugo* à n. 135. & *Sporer* à n. 235. sic procedunt, in foro externo, qui rem pretiosam alienam relinquit in periculo, ut suam viliores eriperet, obligabitur ad restitutionem totius valoris, detracto valore rei vilioris propriæ; ratio est, quia præsumetur dolus & potentia liberandi utramque: & quamvis hoc non præsumeretur, teneretur tamen, quia liberando rem pretiosam alterius, ab eo recipere debuisset pretium suæ vilioris, quia rem suam expendisset in utilitatem alterius secundum voluntatem ejus præsumptam, ergo dominus teneretur hoc compensare. In foro interno, si sciret se non recepturum pretium rei suæ vilioris, quæ aliquantum proportionata sit ad rem alienam perdendam, & quâ perditâ notabile ferret detrimentum non teneretur hoc subire in gratiam alterius, uti rectè *Tambur. Pirh.* l. 3. tit. 16. n. 16. *Stryck* de caut. contr. f. 2. c. 3. §: 2. Si tamen damnum suum non esset notabile vel proportionatum, v. g. si pro re aliena valente mille conservanda deberes perdere viginti, aut exponere triginta periculo jacturæ, videreris teneri, qui enim se obligat ad rem comuni diligentiam conservandâ, obligat se ad aliquod detrimentum non extraordinarium subeundum, plus autem vel minus teneberis exponere, prout contractus erit vel in tuam solius, vel in alterius solius, vel in utriusque utilitatem, hinc cum aliis probabilius docet *Pirh.* n. 17., si rem habeas in tuam solius commodum, te teneri eam præferre tuis, quia cum contractus fuerit in tuam solius favorem, æquitas vult; ut rei tuæ præ-

præferas : dicunt tamen alii, si res propriæ sint æ-  
què vel magis pretiosæ, quàm alienæ, posse præ-  
ferri proprias, siue enim suam siue alienam præ-  
ferret, plus non consuleretur alteri, qui ipsi pre-  
tium rei suæ reddere deberet; neque verum est,  
quòd res aliena esset expensa in bonum propriæ  
conservandæ, sed aliena casu periisset, ergo ni-  
hil prorsus esset restituendum, & ita etiam dici-  
tur L. 1. §. 4. ff. *Ad senatusc. Syllanum*, Si quis non  
potuerit omnibus opem ferre, electionem esse penes ip-  
sum, cui opem ferat neglectis aliis; verùm hìc non est  
sermo de contractu, potestque etiam de hoc vi-  
deri *Petsch. pag. 204. & seqq.*

§. 14. Quando nescitur, an res perierit casu <sup>183</sup>  
an verò ex culpa, v. g. conductoris, huic pro fo-  
ro externo incumbit onus probandi, & quòd res  
perierit, & quòd perierit sine sua culpa, uti habe-  
tur L. 6. §. 9. ff. *De edendo*, docentque omnes com-  
muniter cum *Mol. Laym. & Sporer t. 6. c. 7. n. 43.*  
Ratio est, quia quæ sunt facti, si non probentur,  
non creduntur, præsertim conductori vel alteri,  
cui res per contractum tradita est, ut custodia-  
tur, incumbit enim illi jure Gentium obligatio  
probandi & periisse & sine culpa sua periisse, quia  
possessio est pro domino, qui rem tradidit inte-  
gram cum jure recuperandi, nisi probetur sine  
culpa periisse. Excipiunt AA communiter, nisi  
graves conjecturæ adsint pro hominis innocen-  
tia, aut ejusmodi res soleant perire sine culpa,  
v. g. si ovis perierit ex grege, aut discus argente-  
us ex atula Principis, tunc enim præsumptio stat  
pro custode gregis vel œconomo, unde si juret  
sine culpa sua periisse, absolvitur: Similiter in du-  
bio an incendium ortum sit casu an ex culpa con-  
ducto-

ductoris, præsumitur quòd casu, nisi locator culpam ostendat, uti ex communi Juristarum docet *Laym.* l. 3. t. 4. c. 22. n. 6., quamvis enim communiter oriatur ex culpa alicujus domestici, tamen pater-familias non tenetur præstare omnem culpam eorum, uti habetur L. 11. ff. *De periculo & commodo*: Vide dicenda n. 573.

184 §. 15. Si nulla intervenerit culpa Theologica, ordinariè non est obligatio ante sententiam Judicis compensandi damna, quæ quis causat in officio, v. g. Tutoris, Censiliarii, Confessarii, Professoris, Judicis, Advocati, Procuratoris, Medici, Chirurghi, Custodis &c., ita *Vasq. Lugo, Esq. Haun. Tambur.* Less. l. 2. c. 7. d. 7. *Sporev* t. 4. c. 2. n. 240. *7lls.* n. 34. aliique, Ratio est, quia admittentes ejusmodi officium vel curam, ordinariè non intendunt se obligare ad culpam levissimam aut levem, sed tantum ad communem diligentiam, cavendo dolum aut culpam latam, quæ conjuncta sit cum culpa Theologica, hinc enim ad summum intervenit quasi contractus, uti notat *Petsch.* pag. 183., qui plerumque damnificatae parti utilis est: hinc resolvit *Burgh.* cent. 1. cas. 5. contra *Salon. Arrag. & Bonac.*, si famulus ex culpa levi frangat vitrum pretiosum, non teneri restituere; eadem est autem ratio famuli, Advocatorum, Medicorum, Judicum, uti fatentur adversarii, hi autem non tenentur ex culpa levi, uti habet communis cum *Claro* l. 5. pract. criminalis, §. fin. q. 73. n. 3. Similiter docet *Less.* in auct. v. *Restitutio* cas. 5. ductorem gregis non teneri ad damna frugibus allata sine culpa lata: Similiter resolvit *Tambur.*, si ancilla per levem negligentiam reliquit fores domus domini sui apertas, & ea

occa-

occasione usi fures domum expilarint, non teneri ad restitutionem. *Dixi* ordinariè, nam posset aliquis per speciale pactum se obligare ad reparandum damnum ex quacumque culpa juridica etiam levissima, imò & casu fortuito datum, hinc cum *Vasq. Amic. Less.* de Just. l. 2. c. 7. n. 32. infert *Sporer* n. 241., aliquos in quibusdam casibus obligari in conscientia etiam ad exactissimam diligentiam, adeoque etiam teneri de culpa juridica levissima, 1. Si tale officium, v.g. Advocati suscipiat cum promissione expressa adhibendi diligentiam exactissimam. 2. Si saltem tacitè idipsum promisit, uti si ultro se obtrusit pro tali exquisitissimè perito & cum exclusione aliorum. Videri potest *Dicast.* l. 2. t. 2. d. 3. d. 3.

§. 16. Si damnum grave causatum sit per culpam Theologicam venialem defectu deliberationis vel advertentiæ plenæ ad jus alienum, non est obligatio gravis ad illud reparandum ante sententiam Judicis, & præscindendo à speciali de hoc contractu, ita *Sot. Navarra, Henriq. Silv. Salas, Sa, Less. Tann: Rodriq. Esp. Bonac.* de Restit. d. 1. q. 1. p. 3. n. 9. *Lugo* d. 8. n. 58. *Tamb.* l. 8. t. 3. c. 2. §. 5. *Haun.* t. 2. n. 194. *Ills.* t. 4. d. 3. n. 10., partim contra *Adria. Ang. Panorm. Covarr. Vasq: Turr. Medin. Palav.* de Just. n. 71. qui dicunt totum sub mortali esse restituendum; partim contra *Mol. Rebell. Dicast.*, & alios n. 191. citandos, qui dicunt quandoque sub mortali restituendam partem gravem, proportionalem tamen spectatâ culpâ & gravitate damni. *Probat*ur, quia obligatio restituendi imitatur pœnam sequentem ex culpa Theologica, (ita tamen, ut obliget ante sententiam Judicis, cùm sit de jure naturæ) er-



go sicuti ille nullam meretur pœnam, qui nullam commisit culpam Theologicam, & consequenter non obligatur ad restitutionem ullã, secundum dicta n. 172., ita non meretur pœnam gravem, nec incurrit obligationem gravem restituendi, qui non commisit culpam Theologicam gravem. *Conf.* quia cum non sit facta perfecta injuria, non debuit nasci perfecta, sive gravis obligatio restituendi, cum hæc obligatio non nascatur ex re ipsa seu damno, sed ex iniuria. Ratio à priori est, quia homines & dominus ipse nunquam in tantalem gravem obligationem sibi ratione culpæ venialis imponendam consensisset, si ante omnem casum interrogatus fuisset, est enim veluti pœna improporcionata culpæ, ergo est veluti de jure naturæ, ut obligatio gravis restituendi non sequatur ex culpa tantum veniali.

186 §. 17. *Objiciunt* 1. Ergo culpa mortalis requiratur, ut quis sub mortali teneatur restituere rem gratis commodatam, si amittat illam, qualis requiritur, si amittat rem apud se depositam, consequens est falsum, nam recta ratio dicit debere adhiberi majorem diligentiam pro re gratis commodata, quàm pro deposita. *R.* Culpam mortalem utrobique requiri, quæ nempe sit neglectus diligentia communitè adhiberi solita à viris prudentibus pro tali re servanda, sed talis culpa, licet sit formaliter æqualis, tamen non semper est æqualis materialiter, uti insinuatum est n. 180., nam culpa, quæ respectivè ad hanc rem vel personam vel circumstantiam est levis, potest esse gravis respectivè ad aliam, v. g. omisio diligentia, quæ respectu vitri custodiendi est levis, potest esse culpa gravis respectu gemmæ  
custo-

custodiendæ, pro qua prudentes judicant adhibendam majorem diligentiam : & idem est de conservatione rei gratis aut pro pretio commodata: similiter si filius non conservet rem patris, potest esse culpa levis; si non conservet famulus, aut cui debet esse cura, potest esse gravis: Similiter si videns aliquid se movere, & dubitans an sit canis, explodam, potest esse culpa levis, si autem dubitem, an sit homo, potest esse gravis, quia quando est periculum occidendi hominem, est obligatio magis attendendi & se reddendi certiore, quod non sit homo &c. ubique tamen requiritur, imò & per leges quandoque fortè præcipitur talis diligentia, qualem in ejusmodi circumstantiis communiter adhibent prudentes, quam qui omittit, committit culpam latam, & ordinariè peccat mortaliter; notantque universaliter *Less.* n. 27. *Dicast.* n. 50. & alii, quando damnatum est grave, culpam, quâ causatur, censendam mortalem, nisi aliud constet: *Bonac.* autem n. 9. dicit in dubio, an culpa fuerit mortalis an venialis, fore obligationem ad mediam partem: denique addunt rectè cum aliis *Lugo* d. 18. n. 1. & *Dicast.* de Restit. d. 2. n. 94. per culpam gravem hinc intelligi etiam illam, quæ fit ex inadvertentia graviter culpabili, quando nempe potuisset & debuisset adverti gravitas materiæ, in qua fit læsio.

*Obji.* 2. Poena purgatorii & excommunicatio 187  
minor sunt graves pœnæ, & tamen quandoque respondent peccato veniali, ergo restitutio materiæ gravis etiam poterit respondere peccato veniali. R. N. consq., quæ si valeret, possem pro culpa leviter damnosa in uno solido, obligari ad restituendos mille, & ad subeundam crudelem

Tom. III.

H

mortem,

mortem, quia per culpam illam mereor purgatorium, possemq; mereri excommunicationem minorem. Itaque disparitas est, quod pœna purgatorii sit absolutè levis, spectato foro alterius vitæ & respectivè ad pœnam inferni: Similiter, inquit *7lls.* n. 12. excommunicatio minor est moraliter quid leve, quia per pœnitentiam & absolutionem facilè tollitur: è contrà restitutio materiæ gravis esset pœna absolutè gravis spectato foro hujus vitæ, in quo veniale committitur. Addit *Lugo* excommunicationem minorem non esse puram pœnam sed simul medicinam, quæ licèt foret acerbissima, esset utilis delinquenti, ergo justè infligetur.

188 *Obji.* 3. Si quis per peccatum purè philosophicum esset furatus rem gravem, postea advertens hoc displicere Deo, teneretur ex injusta acceptance sub mortali rem illam restituere, ergo etiam furatus per peccatum veniale. *R.* Dato ant. n. conseq., disparitas est, quia quando jus alienum læsum est cum plena advertentia ad gravem difformitatem cum recta ratione, eadem recta ratio dictat esse obligationem gravem reparandi, alioquin continuaretur actio, quæ cognoscitur esse graviter contra rectam rationem, adeoque etiam graviter contra legem Dei, quæ nunc cognoscitur assistere illi rectæ rationi: hoc autem non tenet, si cum semiplena tantùm advertentia sit læsum, nam non est actum graviter contra rectam rationem.

189 *Obji.* 4. Titius potest in tantùm cedere juri suo, ut si Cajus equum ipsi furetur, velit eum peccare tantùm venialiter, attamen sub mortali teneri ad totum equum restituendum, quamvis postea ca-  
fu

si perierit, sed in hoc casu obligatio gravis restituendi sequetur ex acceptione tantum leviter peccaminosa, ergo. *B. N. min.*, nam hæc obligatio sequetur ex hoc quasi contractu cum Cajo inito. Ob similem rationem dicunt *Lugo d. 8. n. 65. & Petsch. p. 178.*, si quis rem alienam acceperit sine ulla culpa, prudenter præsumens dominum esse contentum, si postea advertat dominum non fuisse contentum, illum teneri etiam compensare damna, quia hic erat quasi tacitus contractus, ut in istis circumstantiis posset quidem accipere, cum tali tamen onere, ut si resciret dominum non fuisse contentum, damna compensaret.

§. 18. Ex dictis inferunt *Sanch. Less. Tambur.* 190 aliique cum *Petsch. p. 181.*, si actio tua externa injusta, fuerit peccatum tantum veniale, quamvis internè fuerit mortale, te sub mortali non teneri restituere, v. g. si in venatione tantam adhibeas diligentiam, ne occidas hominem, quanta requiritur ad vitandum mortale, non tamen tantam, quanta requiritur ad vitandum veniale, quamvis simul adesset internus animus occidendi hostem tuum, si ibi fortè adesset, posito quòd ibi adsit & occidas eum jaculando in illud, quod putabas esse feram, te non obligari graviter ad compensanda damna inde causata uxori vel prolibus, quia dato illam actionem externam denominari graviter injustam ab æterna intentione graviter injusta, tamen de se non est graviter injusta nec perfectè causa moralis damni, obligatio autem gravis restituendi supponit actionem externam de se graviter injustam & perfectè causativam damni, uti dictum est n. 148.

791 §. 19. Probabilius videtur esse obligationem leuem restituendi partem gravis damni proportionatam culpæ veniali, per quam causatum est, secundum arbitrium prudentum, ita *Sot. Regim. Bonac. n. 8. Haunol. & Ills. supra, Burgh. cent. 1. c. 67. contra Less. l. 2. c. 7. n. 28. Lugo d. 8. n. 58. Tamb. n. 3. Petsch. p. 179. Esp. q. 32. Platel. p. 3. n. 733.*, qui dicunt nequidem sub veniali esse obligationem quicquam restituendi: *Ratio nostra est*, quia omnis injuria formalis & damnosa inducit inæqualitatem, ergo est obligatio eam reparandi, alioquin voluntariè continuabitur injuria, hæc autem obligatio sequitur quasi pœna secundum proportionem culpæ, ergo si culpa est venialis, obligatio reparandi etiam erit venialis, non ad totum, secundum dicta n. 185., ergo ad partem tantum, judicio prudentum determinandam: sicuti si per peccatum veniale, etiam non omnino plenè deliberatum furatus esses solidum, tenereris etiam ex injusta acceptione sub veniali hunc restituere: uti dicitur n. 192. Docet autem *Bonac. n. 9.* posse tam leuem esse culpam venialem, ut vix obliget ad centesimam partem damni: è contrà posse esse tam gravem, adhuc tamen venialem, ut obliget ad decimam partem, & addit cum aliis citatis n. 185. si materia restituenda sit gravis, quamvis obligatio proveniat ex peccato tantum veniali, fore obligationem restituendi sub mortali, quam sententiam laudat *Platel. n. 734.* tanquam valde probabilem & æquitati naturali conformem, quia præceptum restitutionis obligat sub mortali, quando materia est gravis; sed n. 185. diximus oppositum cum

*Nay.*

*Nav. Less. Lugo, Fill. t. 32. n. 31. & 35.* (: exceptâ saltem restitutione famæ & honoris, de qua postea :) quia hæc obligatio restituendi non oritur ex materia ipsa, sed ex injuria formali, quæ tantum levis est, uti dictum.

§. 20. *Objicit Tamb.* Ex contractu, voto, vel juramento cum semiplena advertentia facto nulla oritur obligatio, nequidem sub veniali aliquid præstandi, uti de voto dictum est p. 1. n. 380., & dicetur de contractu hic n. 612., ergo ex culpa propter semiplenam advertentiam veniali, etiam nulla oritur obligatio restituendi: Rationem à priori dat *Less.*, quia quæ fiunt cum tali inadvertentia, censentur quasi casu fieri. R. N: conseq; disparitas est, quòd ut ponatur obligatio, requiritur totus homo, eò quòd homo libertatem suam quasi alienet; è contrà ut quis peccet, sufficit semiplena advertentia, ergo etiam ut peccet contra jus alterius, talis autem injuria trahit post se obligationem reparandi jus læsum. Ad rationem *Lessi*, dico censerì tantum semicasualia, cum quo stat, quòd sint semi-injuriam, ergo æquum est ex illis oriri semi-obligationem ad restituendum, id est, obligationem ad restituendum aliquid leve tali injuriæ respondens, ficuti quia peccata venialia semi-deliberata sunt semi-peccata, causant semi-pœnam peccatis debitam, id est, temporalem aliquam.

*Inst.* Actus moralis imperfectus, qualis est in-deliberata damnificatio, non potest esse causa obligationis moralis. R. Non potest esse causa obligationis moralis, perfectæ, c., imperfectæ, N: sic enim omne veniale est causa moralis obli-

gationis ad satisfaciendum vel satisfaciendum pro illo : tum autem esset causa obligationis perfecta, si ex illa oriretur obligatio gravis restituendi totum, quod nos non dicimus.

193 Q. 44. *An sit obligatio reparandi damna, quae quis in ebrietate causat.* R. Qui per experientiam didicit se in ebrietate solere causare damna, v. g. alios vulnerare, frangere vel evertere omnia, si hoc sciens se inebriet, & non ponat sufficientem praecautelam, ne damna causet, tenetur ea reparare, si ebrius causarit, quia volendo ebrietatem communiter & per se in tali subjecto connexam cum talibus injuriis, censetur etiam velle injurias, ita *Vasq. Lugo d. 18. n. 86. Dicast. de Restit. d. 3. n. 77.* Quod si damna illa non fuerint praevisa, aut si moralis diligentia sit adhibita, ut praecaverentur, licet forte fiant, non est obligatio refarciendi ante sententiam Judicis, quia non censentur fuisse voluntaria, *Gob. in Clyp. p. 2. n. 262.* Addit *Haunol. t. 2. n. 169.* ebrium causantem damna posse per legem Aquiliam conveniri etiam ad plus restituendum in poenam, quia saepe non est ebrietas excusans a culpa. Denique notat *Dicast. dicta de damnis causatis ab ebrio, valere de causatis ab ambulante in somno.*

194 Q. 45. *Ad quid teneatur, qui scienter intulit damnum grave, sed invincibiliter ignoravit esse tam grave,* v. g. si Titius in mare projecit gemmam Caji valentem ducentis aureis, quam ipse non putabat valere nisi centum. R. Probabilius est non teneri nisi ad damnum, quod cognovit, & consequenter in casu posito Titius tenebitur ad restituendos Cajo tantum centum aureos, ita

*Pontius,*

*Pontius, Dicast. Haun. n. 219. Dian. p. 11. t. 2. R. 34. Esp. q. 34. contra Palav. l. 4. c. 7. n. 71. Lugo d. 8. n. 63. Ills. t. 4. d. 3. n. 22.* Probatum 1. quia ad illud, quod non cognovit, non tenetur ex lege positiva, cum talis ostendi non possit; neque ex lege naturali, quia non fuit causa moralis illius excessus, quem non cognovit nequidem confusè, uti suppono, ergo non potest illi moraliter imputari, ergo de jure naturæ non tenetur illum compensare. 2. Non est obligatio reparandi damnum extrinsecum, idest, distinctum à re sublata vel perdita, si hoc damnum non fuerit prævisum, v. g. si quis ignem injecisset in segetes, & sic improvise simul accensa fuisset domus, non teneretur resarcire damnum extrinsecum combustæ domûs, sed tantum intrinsecum secundum valorem segetum, uti fateretur *Palav.*; ergo etiam non est obligatio reparandi damnum intrinsecum, quod non fuit cognitum, utrumque enim est æquè parum volitum. Ratio quasi à priori est, quia lex naturæ non inducit obligationem, in quam homines non essent consensuri, si antecederet ad omnem casum eventualem fuisset requisitus eorum consensus, atqui in talem obligationem non consensissent, nam cum casus hic sit rarus, & nascatur ex invincibili ignorantia, vix ullus metu talis poenæ ab eo abstereretur, & è contrà durius est scienter compensare damnum ita inadvertenter factum, quàm tolerare tali modo casu illatum ab alio, ergo.

*Obji. 1. Justitia respicit medium rei, ergo 195 obligat, ut restituatur, quantum à parte rei no-*

H 4

citur



citum est, five fuerit cognitum five non. *R. N.* conseq: ; Justitia dicitur respicere medium rei, quia intendit æqualitatem inter jura à parte rei existentia, ideoque non est opus per rationem multum investigare, quid ex justitia fieri debeat, sed hoc facile innotescit consideratis rebus & juribus secundum se; cum hoc tamen stat, quod debueris cognoscere jus, ut dicaris formaliter læsisse & teneris reparare, alioquin qui nihil Juris alieni cognovisset, adhuc teneretur reparare, quod nemo dicit.

196 *Obji. 2.* Lex civilis justè obligat ad compensanda damna gravia illata per leves negligentias, ut sic homines fiant cautiores, ergo lex naturalis etiam justè obligat ad compensanda damna gravia intrinsecè conjuncta cum formali injuria gravi, quamvis non sint prævisa, ut sic homines absterreantur ab ejusmodi iniuriis, ita *Ills. R. N.* conseq., nam lex civilis tantum obligat ad compensanda damna præcognita, aut quorum præsumitur adfuisse præcognitio; deinde si valeret à lege civili ad naturalem, ergo sicut sufficit legi civili præcessisse culpam levem, ita sufficeret naturali, quod negant *Lugo & Ills.*

197 *Obji. 3.* Projiciens gemmam voluit voluntate executivâ projicere hoc, quod habebat in manu, quidquid illud esset, ergo tenetur ad totum pretium restituendum, ita *Palav. R.* Voluit projicere, quod habebat in manu, secundum hoc, quod cognoscebat, c.; secundum plus, quam cognosceret, n: ant: & conf: ; alioquin quamvis putasset gemmam esse lapidem vilem  
&

& nullius valoris, adhuc teneretur totum pretium restituere, quod nemo dicit.

*Obj. 4.* Qui agnoscit se facere gravem injuriam, implicite suscipit in se onus compensandi omne damnum, quod ex illa est secuturum, atque hoc damnum est ducentorum aureorum, & causatur per gravem injuriam, ergo, ita *Lugo. R.* Suscipit onus compensandi omne damnum, quod ex illa est secuturum, si illud cognovit aut hic & nunc cognoscere potuit ac debuit, c., si invincibiliter ignoravit esse secuturum, n., neque aliud volunt AA., qui cum *Sanch.* dicunt compensanda esse omnia damna ex injusto homicidio secuta, nam intelligunt, si prævisa fuerint saltem confuse, quod ordinariè fit, aut si vincibiliter sint ignorata, qualiter ignorari semper præsumuntur, nisi aliud constet, uti n. 186. insinuatum est.

*Instab.* Qui peccat mortaliter, meretur pœnam æternam, quamvis de ea non cogitarit, ergo similiter hic. *R. N. conf.*, qui mortaliter peccat, agnoscit malitiam, quam sufficienter scit esse illativam totius pœnæ: qui projicit gemmam, non agnoscit malitiam illativam totius damni, sed illum excessum valoris ignorat, ergo circa illum non est formaliter injurius, ergo nec tenetur compensare, quia hæc obligatio compensandi deberet nasci ex formali injuria. Hæc omnia magis valent, si positivè putarit pretium gemmæ esse minus, uti aperte infertur ex doctrina ipsiusmet *Lugo d. 11. n. 90.*, item si putavit gemmam pertinere partialiter ad se & ad fratrem suum Cajum, tum enim non tenebitur de eo, quod invincibiliter putavit esse suum.

290 Q. 46. Ad quid teneatur Caius, qui damnum intulit Titio, putans & volens inferre Sempronio. R. §. 1. Si putavit se furari, v. g. equum Sempronio, cum tamen equus esset Titii, certum est ad nihil teneri Sempronio, quia nullam ei damnosam injuriam fecit. Quod si equus adhuc exstet, aut Caius per illum fit factus ditior, etiam certum est Cajum teneri ex re accepta hunc restituere Titio. Tota difficultas est, an Caius dici debeat fuisse etiam formaliter injurius Titio, ita ut ideo ex injusta acceptione teneatur restituere, licet nec equus exstet amplius, neque Caius ex illo factus sit ditior: teneri restituere dicunt *Sanch.* l. 2. c. 23. n. 157. *Bonac.* de Rest. d. 1. q. 3. p. ult. §. 2. n. 1. *Haun.* & alii, rationem dant, quia Caius est verè fur, ergo est formalis injustus acceptor, non respectu Sempronii, ergo respectu Titii, ergo ex iniusta acceptione tenetur restituere. Alii cum *Mol.* t. 3. d. 723. n. 4: dicunt non teneri, quod probabile esse dicit *Tamb.* l. 6. c. 4. §. 3. n. 31., rationem dant, quia non cognovit jus esse Titii, ergo non fuit formaliter injurius Titio, cum enim formalis injuria respectu hujus personæ includat actionem formaliter volitâ contra hanc personam, si erretur in hac persona, non poterit actio dici formaliter volita contra hanc personam, adeoque nec formalis injuria respectu illius, ergo debebitur illi restitutio tantum ex re accepta. Ex eodem fundamento docent *Vasq.* *Less.* l. 2. c. 7. dub. 9. *Sanch.* in Confil. l. 1. c. 4. d. 8. *Lugo* d. 8. n. 72. *Tamb.* n. 24. *Petsch.* pag. 163. *Dicast.* de Rest. d. 3. à n. 68. contra alios, si quis inculpate putans se videre feram jaculetur in  
hoc

hoc, quod videt, & interficiat, postea autem deprehendat fuisse inimicum, quem ad necem quærebat, ad nihil teneri, quia illa occisio non fuit illi volita. *Nec refert*, quod voluisset occidere, si scivisset esse inimicum, nam inde tantum sequitur, quod occisio hominis fuisset illi volita, si scivisset esse ibi inimicum, non autem, quod nunc fuerit volita; imò cum nunc non sciverit, potius sequitur, quod nunc non fuerit volita. Utraque sententia est probabilis, videturque sic posse componi; Si Cajus furans equum esset actu ita comparatus, saltem implicite, ut adhuc furaretur, quamvis sciret esse Titii, videtur facere formalem iniuriam Titio, quia satis cognoscit saltem confuse jus illius, & error circa personam Titii videtur esse merè consequens vel concomitans, adeoque non impedire rationem voluntarii, ac consequenter tenebitur restituere, etiam ex iniusta acceptione. Econtra si sit saltem implicite ita comparatus, ut non furaretur, si sciret esse Titii, non facit formalem injuriam Titio, re ipsa enim vult relinquere jus Titii illæsum, quamvis per errorem invincibilem lædat, hinc tenebitur tantum ex re accepta: & in hanc distinctionem tandem consentit *Lugo d. 17. à n. 77. & Petch. pag. 580.*

§. 2. Si Cajus occiderit Titium putans esse Sempronium, *Bonac. Haun. Busenb.* dicunt probabilius esse, quod Cajus ex injuria teneatur ad totam restitutionem, etiam damnorum, quamvis Titius per accidens putaretur esse Sempronius: *Lugo* videtur in hoc casu dubitare, *Molin. & Rebel.* dicunt Cajum teneri ad partem restitutionis,

tionis, quia minùs fuit iniurius, quàm si scivisset esse Titium; *Tamb.* supra dicit probabile esse, quòd ad nihil teneatur: sed videtur etiam res hic componenda, uti antè, si enim actu, saltem implicite, fuerit sic comparatus, ut etiam occidisset Titium, si scivisset adesse, confusè cognovit Titium, adeoque fuit ei iniurius, & tenetur de damnis.

202

§. 3. Si Caius veneno infecerit vinum, illudque posuerit ante Sempronium, volens hunc è medio tollere, Titius autem id nesciens præripiat illud, & Caius, ne scelus suum erumpat, id fieri permittat, Caius in effectu non est homicida, nec tenetur compensare damna ex morte Titii secuta, quia occisio iila Titii non fuit voluntaria Cajo, qui casum illum prævidere non potuit, nec cum tanto suo periculo tenebatur illum impedire.

203

§. 4. Si Caius videns Titium, & putans esse Sempronium, ex odio in Sempronium dicat, iste homo est adulter, si Titius sit audientibus notus, qui ideo putetur adulter, Cajo tenetur restituere Titio damna, si quæ sequantur ex ista infamia: Sempronio autem non fecit injuriam externam, si ejus nomen non expressit.

204

*Q. 47. Quid notandum sit circa restitutionem rei & fructuum, item circa deductionem melioramentorum & expensarum. R. Seqq. §. 1. Pro his sunt sequentes Regulæ: 1. Possessor bonæ fidei tenetur restituere rem & fructus, vel quo factus est ditior ex re aut fructibus. 2. Possessor malæ fidei tenetur restituere rem & fructus, si habet, vel si non habet, valorem, licet non sit factus ditior:*

item

item tenetur compensare damnum emergens & lucrum cessans. 3. Possessor tam bonæ quàm malæ fidei potest deducere æstimationem aliquam melioramentorum & expensarum suarum: quæ omnia jam magis explicabuntur.

§. 2. Fructus rei sunt, vel naturales vel industriales vel mixti: *naturales* sunt, qui ex re ipsa proveniunt absque ullo ferè labore aut industria cujusquam, uti foetus animalium, lana ovium, fructus arborum, herbæ pratorum, silvæ cæduæ, pretium quod quis accipit pro instrumento alieno alteri elocato, item pretium seu valor rei, qui dici solet fructus rei mediatus, & re ipsa est æquivalenter res. *Industriales* sunt, quos ipsa rei natura de se ipsa non producit, sed qui præcipuè proveniunt ab industria hominis utentis tali re velut instrumento, uti stipendium, quod quis accipit, dum ipsemet utitur falce vel alio instrumento alieno, item arte factum, quod per instrumenta elaboratur, item lucrum, quod quis reportat ex rebus tam mobilibus quàm immobilibus emptis & venditis, item lucrum ex pecunia ad censum vel negotiationem posita. *Mixti* sunt, ad quorum productionem notabiliter concurrunt tam natura quàm industria, uti segetes ex agro, vinum ex vineis, quia hæc producit quidem natura, attamen debet industria notabiliter conferre, uti pluribus ista explicant *Molin. t. 3. d. 719.* & *Dicast. de Rest. d. 2. d. 5.*, qui rectè addit d. 5. n. 30. denominationem fructus naturalis aut industrialis sæpe desumi ab illo, quod prævalet, si nempe natura prævaleat, dici naturalem, si industria, industrialem, quamvis re ipsa

205

ipsa sit mixtus : In dubio autem, quid prævaleat, standum est sententiâ Judicis vel arbitrio prudentum ; quòd si nec Judex nec ullus prudens possit discernere, præsumitur potius naturalis, quia natura censetur semper plus operari, cum sit fundamentum industriæ.

206 §. 3. Aliqui fructus dicuntur civiles, quia in foro civili habentur veluti fructus, uti sunt pretia rerum elocatarum, usuræ, pensiones, mercedes, salaria &c., uti habetur in jure apud *Haun.* t. 3. à n. 361.; & hi fructus civiles reducuntur ad fructus vel naturales vel industriales vel mixtos, secundum antè dicta.

207 §. 4. Fructus alii dicuntur pendentes, alii percepti, alii percipiendi : pendentes sunt, qui nondum sunt collecti, sed in rebus, è quibus nascuntur, adhuc existunt : percepti dicuntur, qui separati sunt à re, è qua proveniunt, quamvis fortè adhuc ibi jaceant, ubi creverunt : percipiendi dicuntur, qui percepti non sunt, sed percipi poterunt.

208 §. 5. Melioramenta rei alia dicuntur intrinseca alia extrinseca ; intrinseca dicuntur, quæ quasi transeunt in rem, quam meliorem efficiunt, ideoque dominus rei acquirit illorum dominium per accessionem seu adjectionem, secundum dicta n. 126.; talia sunt stercoreatio agri, implantatio arborum, si radices egerint. Extrinseca dicuntur, quæ tantum extrinsecè adhærent, & salvâ re separari possunt, ideoque illorum dominium non necessario acquiritur domino rei ; talia sunt picturæ, januæ, fenestræ, domuncula mobilis, quæ solo alieno imponitur.

§. 6. A possessore rei alienæ sæpe fiunt expen- 209  
 sæ pro re vel pro fructibus ex re habendis, aut  
 pro melioramentis: tales autem expensæ sunt,  
 vel necessariae: vel utiles, vel voluntariæ, seu vo-  
 luptuosæ. Necessariæ sunt, sine quibus res peri-  
 ret vel fieret deterior, vel nullos aut non ordina-  
 rios fructus afferret. Utiles sunt, quæ faciunt, ut  
 res utilior sit, sive ut plures fructus afferat, v. g.  
 si ager cum necessariis expensis de more afferat  
 10: modia tritici, & cum aliis afferat 12. modia,  
 hæ expensæ sunt utiles. Voluntariæ sunt, quæ  
 tantum conferunt ad ornamentum vel ad deli-  
 cias, uti hoc, quod impenditur ad picturas, sta-  
 tuas, artificiosos fontes &c., quibus quamvis res  
 reddatur pretiosior & æstimabilior, tamen non  
 ideo affert majores fructus: ex quo patet non o-  
 mnes expensas esse utiles, quæ faciunt rem pre-  
 tiosiore, imò expensæ voluntariæ sæpe sunt  
 damnosæ, si impediunt utilitatem, item si domi-  
 nus sit pauper, ideoque ut rem suam recipiat, co-  
 gatur cum detrimento eas solvere, uti rectè  
*Sanch. l. 2. c. 23. n. 145.* His suppositis,

§. 7. Possessor bonæ & malæ fidei tenetur ex 210  
 re accepta restituere rem, si adhuc exstat, aut  
 quantum ex illa factus est ditior, secundum dicta  
 hætenus. Item possessor tam bonæ quàm malæ  
 fidei tenetur restituere fructus naturales rei, sal-  
 tem, si existent adhuc in se, ita cõmuniter o-  
 mnes cum *Dicast. d. 5. à n. 28.* Ratio est, quia res  
 manet domini, ergo ubicumque est, fructificat  
 domino suo. *Nec obstat*, quòd fortè non fuisset  
 fructificatura, si apud dominum mansisset, *nam*  
 hoc non obstante, si apud alium fructificet, do-  
 mino



mino suo fructificat, unde talis, etiam bonæ fidei possessor, non acquirit dominium illorum fructuum, per se loquendo, nisi ad summum revocabile, uti pluribus ostendit *Haun.* à n. 266.

211 §. 8. Si hi fructus non existent amplius in se, sed possessor bonæ fidei eos consumpserit, sitque inde factus ditior, non ita certum est, an teneatur semper restituere: quod attinet ad possessionem alienæ hæreditatis, satis certum videtur hunc teneri, nam ita habetur multis locis in jure apud *Haun.* n. 276; similiter possessorem alterius rei alienæ teneri restituere fructus consumptos post litis contestationem, habetur L. 22. Cod. *De rei vindicatione*: quod affirmat cum communiore *7hs.* t. 4. d. 3. n. 52. contra *Sanch.*; etiam post evictam litem dicendum esse de fructibus perceptis aut percipiendis tempore motæ litis, quamvis possessor ex illis non sit factus ditior, quia secundum L. 25. §. 7. ff. *De hæreditatis partitione*, post motam controversiam omnes incipiunt esse tanquam malæ fidei possessores, quia tum quasi suspenditur jus utriusque: an autem teneatur restituere bonæ fidei consumptos ante contestationem, ex quibus factus est ditior, controversia est, nam de fructibus mixtis negant moderni Juristæ cum *Haun.* n. 280. & *7lls.* n. 50. quam sententiam plerique dicunt esse probabilem, fatenturque *Rebel.* & *Sanch.* in foro externo secundum eam decidi; & ratio est, quia leges potuerunt ita statuere, sicuti statuerunt, ut præscriptione acquiratur dominium sine obligatione compensandi: quod autem de facto ita statuerint circa fructus mixtos, videtur suaderi L. 4.

§. 2.

§. 2. ff. *Finium regundorum*, item §. 35. *Si quis à non domino Instit.*. De rerum divis. Econtrà *inn. Covarr. Panorm. & TT.* communissimè, atque etiam cum illis *Bart. Wormserus, Pistorius* aliique *Juristæ* innumeri, teste *Dicast. n. 64.*, probabilius affirmant esse restituendos, non tantùm naturales, sed etiam mixtos, secundùm hoc, quod naturales sunt, quia locupletari non debet aliquis cum alterius jactura, uti habetur *Reg. 48. juris in 6. & L. 10. ff. Mandati. Bonæ fidei hoc convenit, ne de alieno lucrum sentiat*: res autem fructificat domino suo, ergo quamdiu fructus tales exstant, saltem æquivalenter, sunt domino restituendi, exstant autem æquivalenter, si possessor sit inde factus ditior. Neque juvat dicere, hoc verum esse spectato jure naturæ, sed aliter disponi jure positivo, nam hoc efficaciter probari deberet, alioquin standum est jure naturæ, uti rectè *Dicast. n. 75.*, hoc autem efficaciter probari non potest, uti fatentur *Adversarii*, dicentes esse tantùm probabile, aut ad summum probabilius, patetque consideranti leges, quas afferunt, *Less. enim L. 2. c. 14. n. 10. & Dicast. n. 93.* dicunt intelligi de fructibus, per quos aliquis non est factus ditior: & *Conf.*, nam §. *Etsi Instit. De off. Judicis*, dicitur eadem intervenire in petitione hæreditatis ac singulorum, sed in petitione hæreditatis debent restitui fructus illi, etiam bonâ fide consumpti, uti dictum est, ergo etiam in aliis casibus. Videri potest *Dicast. à n. 38.*, ubi hanc quæstionem accuratè tractat.

§. 9. Nequidem malæ fidei possessor tenetur restituere fructus industriales, quia sicut fructus

Tom. III.

I

rei

rei rem, ita fructus industriæ industriam sequuntur: neque contrarii sunt Juristæ, quando enim dicunt fructus industriales aliquando restituendos esse, intelligunt mixtos, uti observat *Haut.* n. 265. Consequenter qui, etiam malâ fide, lucratus est pecuniâ alienâ, illam exponendo in lusu, ad negotiationem vel censum &c., non tenetur hoc lucrum restituere, quia pecunia est res de se sterilis, & fructus eius censetur respondere industriæ: similiter messor malâ fide utens falce alienâ, non tenetur restituere lucrum, sed tantum compensare, quantum falcem alienam attrivit; & idem est de aliis instrumentis, quæ usu deteriorantur. Quod si alienum torquem aureum elocasti ad usum, *Nav. & Lop.* dicunt te posse retinere pretium elocationis, sicuti potes retinere, quod instrumento alieno lucratus es, compensando, quod detritum est: *Mol. d. 719. n. 5. Laym. Less.* alique dicunt te teneri restituere pretium, quia torques non habet se veluti instrumentum, per quod operatur industria, sed veluti domus, quæ elocatur, ergo sicuti teneris restituere pretium acceptum pro elocatione domus alienæ, cum sit fructus naturalis saltem civiliter, ita & pro elocatione torquis.

213

§. 10. Possessor tam bonæ quàm malæ fidei tenetur restituere fructus mixtos, quantum respondent naturæ; quantum autem respondent industriæ, non est obligatio illos restituendi, uti constat ex dictis, nam quantum à natura proveniunt, sunt fructus rei, quantum autem proveniunt ab industria sunt fructus, non rei sed hominis occasionis rei vel per rem tanquam instrumentum eos sibi lucrantis: & hoc volunt AA communiter, quan-

quando dicunt fructus mixtos esse restituendos deducto valore industriæ: & in re etiam hîc consentiunt *Mol. n. 4. Dicast. n. 76.* alique, quamvis quandoque paulò aliter loquantur: consequenter dicendum est, ubi natura plus contulit quàm industria, plus restitui debet; minùs autem, si industria plus contulerit ad fructus producendos quàm natura.

§. 11. Qui seminavit alienum triticum in suo agro, satisfacit, si restituat vel simile vel pretium eius, quia seges est fructus agri potius quàm feminis, quod mortuum est & ab agro vivificari debet, *Lugo, Dicast. 7lls. n. 47.* Similiter qui alienum triticum aliò deportavit, & ideo carius vendidit, satisfacit, si restituat simile vel quanti interest domini suum triticum non esse aliò asportatum, quod enim carius vèdiderit, est fructus industriæ. 214

§. 12. Bonæ fidei possessor non tenetur compensare fructus, quos etiam per culpam suam non percepit ex re aliena, quamvis dominus percepturus fuisset, non enim tenetur ex re accepta, cum nihil acceperit, neque ex injusta acceptione, cum nullam fecerit injuriam domino rei, *Less. L. 2. c. 14. n. 12.* Et notant rectè AA.: quamvis possessor bonæ fidei sæpe teneatur restituere rem, v. g. agrum alienum, tamen non semper teneri restituere omnes ejus fructus perceptos, quamvis ex illis sit factus ditior, quia fructus, cum sint res mobiles, præscribi possunt breviori tempore, quàm ager immobilis. 215

§. 13. Possessor malæ fidei, quamvis non tenetur compensare fructus, quos non percepit, neque à domino percipiendi fuissent, tenetur tamen compensare, si dominus eos percepturus fuisset, 216

fuiſſet, etiamſi ipſe nec percepit nec percipere potuerit, ita *Sanch. Leſſ. Bonac. Diccaſt. d. 2. d. 96. Lugo d. 17. à n. 54. Peſch. p. 221.*; quamvis de ultimo videatur aliter loqui *S. Th. opuſc. 73. c. 20. Poſteſt incidere damnum per accidens, quando ſcilicet ex pecunia ablata, lucrum, quod intendebat, non acquiſiuit, & nihil aliud paſſus eſt damnum, dico quòd lucrum tale non eſt reſtituendum ei, qui paſſus eſt dicitur huiusmodi damnum. Ratio noſtra eſt, quia ſi nec ſint percepti, nec dominus fuiſſet percepturus, non ideo eſt paſſus damnum, cùm nec amiſerit aliquid, nec in aliquo acquirendo ſit impeditus, ergo nihil eſt reſtituendum, ſicuti ſi differam ſolvere debitum, & creditor non ideo patiatür damnum, nihil ideo teneor reſtituere: e contra ſi dominus percepturus fuiſſet, etiam per ſingularem diligentiam, quam adhibuiſſet, iniuſtè paſſus eſt hoc damnum, ergo compenſari debet: imò poſſeſſor malæ fidei tenetur illos fructus domino compenſare, quos per culpam ſuam non percepit ex re ſuis expenſis intrinſecè meliorata, ſi dominus percepturus fuiſſet; uti rectè *Sanch. Bonac. Lugo n. 57. contra Sotum & Covar., quorum tamen ſententiam Leſſ. n. 117. & Diccaſt. n. 57. dicunt eſſe probabilem: ratio noſtra eſt, quia illud melioramentum intrinſecum, ſtatim ut poſitum fuit, acquiſitum eſt domino rei, ergo qui iniuſtè illud retinuit, tenetur compenſare omnia damna inde orta, inter quæ eſt jactura fructuum, quos dominus percepſſet; & ob eandem rationem debent reſtitui fructus percepti ex ejuſmodi melioramentis intrinſecis rei alienæ, quamvis dominus hæc melioramenta non fuiſſet factururus, v. g. fructus percepti ex arboribus,**

bus, quas singulari diligentia plantavit in fundo alieno, quamvis dominus eas plantaturus non fuisset, ita cum aliis *Bonac. de Rest. d. 1. q. 3. p. 12. §. 2.*

§. 14. Nequidem possessor malæ fidei tenetur <sup>217</sup> compensare fructus, quos dominus illicite percepisset, v. g. si rapuit servam, non tenetur compensare turpia lucra, quæ accepisset dominus meretricie exponendo illam, uti habetur L. 34. ff. De reivindicatione, & ratio est, quia dominus non habuit jus ad tales fructus: si tamen possessor malæ fidei acceperit tales fructus ex re domini, tenetur hos restituere, uti cum communi *Bonac. n. 8. & Petsch. p. 231.*, habeturque L. 27. ff. De hereditatis petitione, quia res, si fructificet, domino suo fructificat, ergo hic qualiscunque fructus rei, quando existit, est fructus domini rei.

§. 15. Si res vel fructus per culpam injusti detentoris perierit, v. g. quia consumpsit aut donavit alteri, tenetur valorem restituere, quamvis non sit factus ditior, & apud dominum etiam casu vel aliter certo peritura fuisset, ita *Molin. Laym. L. 3. t. 2. c. 4. n. 2. Lugo d. 18. n. 76. Dicast. d. 1. n. 58. & alii contra Vasq. Less. & Bonac. p. 10. à n. 2.*, qui hoc negant, saltem si eodem tempore & loco erant certo peritura apud dominum, quam sententiam *Laym.* fatetur esse probabilem, uti & *Dicast. n. 74.*, dummodo non venderit, neque inde sit factus ditior: Ratio nostra est, quia talis res hic & nunc perit per injuriam detentoris, ergo ex hac est obligatio restituendi: limitat quidem *Laym.*, nisi publice constitisset rem etiam certo perituram fuisse apud dominum, putat enim tum, moraliter loquendo nullius, aut saltem minoris fuisse pretii; sed con-

trà est, nam licet nullius pretii fuisset futura prout existens apud dominum, tamen prout existens apud injustum detentorem jam acquisiverat meliorem statum, qui status rei pertinebat ad rem, & consequenter ad dominum rei, ergo qui rem ex hoc statu iterum dejicit, facit domino damnosam injuriam, uti qui rem ex incendio ereptam iterum injiceret, ergo cujus culpâ tum perit, tenetur damnum inde secutum compensare: quæ omnia magis valent, si res apud dominum erat certò peritura per injuriam alicujus alterius, uti fatetur *Bonac.*, nam qui prævenit in injuria, prævenit in obligatione restituendi: quæ omnia iterum multò magis valent, si res apud dominum peritura erat, non certò, sed contingenter, quia qui tum facit perire, censetur causa efficax damni domino causati, uti notant *Bonac. Dicast. n. 70. Persch. p. 237.* Econtrà si pereant absque culpa injusti detentoris, v. g. in communi periculo, similiter certò peritura apud dominum, injustus detentor non tenetur restituere valorem rei, sed tantùm usum vel fructuum rei, quos dominus interea habuisset, quia injusta detentio non fuit reipsa causa illius damni, quod independenter ab illa fuisset secutum sine cujusquam culpa: quando autem aliquid perit sine cujusquam culpa, perit domino suo, uti rectè cum aliis *Laym. suprà*; quòd tamen dominus interea caruerit usu rei suæ vel fructibus, quos percepisset, hoc tribui debet injustæ acceptioni, ergo nascitur obligatio compensandi. Videri potest *Dicast. à n. 52.*, ubi infert multa corollaria notatu digna; item *Persch. à p. 237. usque ad 296.* In dubio autem, an res, quæ apud injustum detentorem

rem perire, peritura fuisset apud dominum, cen-  
seri debet non fuisse peritura, ideoque tota re-  
stituenda est, uti docent *Bonac. Lesius, Tamb.*,  
quia possessio est pro existentia rei: è contrà in  
dubio de damnis vel lucris secuturis, restitui de-  
bet pro rata dubii, quia lucra ex re nondum exi-  
stunt, ergo non possident; neque dominus est  
in possessione respectu eorum, sed injustus de-  
tentor est potius in possessione rerum suarum:  
spes tamen lucri & periculum damni est in pos-  
sessione, ergo secundum proportionem talis  
spei & periculi restituendum est, ita *Petsch. p.*

237.

§. 16. Si detentor fuerit in mala fide respectu 219  
rei, sed non respectu fructuum, quia v. g. in-  
vincibiliter putavit fructus labore suo concur-  
rente partos fieri suos, si hi fructus non amplius  
exstent, nec inde sit factus ditior, neque etiam  
dominus eos percepturus fuisset, non tenetur  
compensare, uti rectè *Lugo n. 53. & Petsch. p.*  
234.: è contrà quamvis illam bonam fidem ha-  
buerit, & non sit factus ditior, si tamen dominus  
eos percepturus fuisset, tenetur compensare,  
quia hoc damnum est consecutum ex injusta eius  
acceptatione, ita *Petsch. p. 229.*

§. 17. Si Titius mandavit famulo, ut ferret 220  
Caio donatam à se gemmam, famulus autem per  
fraudem & ex culpa gravi differat ferre usque ad  
mortem Titii, & tunc gemmam illam perdat,  
*Molin. d. 263. n. 7. Sanch. de Matr. L. 1. d. 6. n. 8.*  
*Less. L. 2. c. 18. n. 46. Dicast. L. 2. t. 4. n. 166.* di-  
cunt teneri valorem gemmæ restituere duobus,  
inprimis hæredibus Titii, quia cùm donatio non  
esset perfecta, neque ad piam causam, manda-



tum exspiravit morte mandantis, ergo gemma mansit hæredum: deinde etiam Cajo, quia per dilationem culpabilem fuit causa damni per carentiam gemmæ causati. *Sa V. donatio n. 25. Tamb. L. 8. t. 4. c. 1. §. 5. n. 11. Sporer t. 4. c. 4. n. 21.* dicunt satis esse, si restituat Cajo, quia probabile est mandatum favorabile & gratiosum non exspirare morte mandantis, sicuti *Sanch: l. 8. d. 28. n. 66.* docet morte concedentis non exspirare gratias, v. g. concessionem privilegii, dispensationis, indulgentiæ. Prima sententia videtur probabilior.

221 §. 18. Possessor tam bonæ quàm malæ fidei potest in restitutione deducere valorem laboris & aliquarum expensarum circa rem & fructus, ita communiter omnes. De labore probatur, quia sicut per alios potuit laborem illum adhibere, & quod pro eo expendisset, deducere, sic laborando per se ipsum potest deducere laboris pretium, præsumi enim debet voluisse laborare, non gratis, sed pro commodo suo, re ipsa autem laboravit pro commodo domini rei, ita *Lugo n. 65. Tamb. n. 11. Pettich. p. 518.* De expensis saltem necessariis, habetur *L. Domum, Cod. De reivindicatione*, ratio autem est, tum quia dominus ipse eos facere debuisset, tum quia fructus non habet rationem fructus, nisi deductis his expensis, *L. 36. §. fin. ff. De hæred. petit.*, tum etiam quia per expensas cõservatur res & causantur fructus, adeoque expensæ ingrediuntur quasi rem & fructus, ergo æquum est, ut qui vult rem & fructus, ferat expensas. Idem videtur dicendum de expensis utilibus, uti docent *Covarr. Mol: Sayr: Kebel. Nav. Less. Castrop: Ills. n. 54.*, nam quamvis *L. Adeo 7. §. Ex diverso, ff. De acquir. Domin.* possessori malæ

malæ fidei negetur actio ad illas repetendas, cum tamen sit lex pœnalis, non obligat in conscientia ante sententiam Judicis, & re ipsa rigor illius legis mitigatus est per L. 38. ff. *De hæred. possess.*, hinc etiam L. 51. ff. *Familiæ herciscundæ* absolute dicitur, impensarum ratio haberi debet, quia nullus casus inveniri potest, qui hoc genus deductionis impediatur; & ratio est, quia etiam hic utiliter gessit negotium domini, ergo æquum est, ut deducat expensas. Putant quidem aliqui, si res jam redierit ad dominum, non posse possessorem malæ fidei reposeere expensas, quia in foro externo negarentur ipsi, cui dominus rei se potest pro foro interno accommodare, quandoque enim lex justè negat actionem ad aliquid petendum & debitori concedit repetitionem, si fortè solverit, debitor potest in foro conscientie illud retinere, uti probat *Sanch. de Matr. l. 6. d. 38. n. 35.*, dicitque *Lugo* dominum posse tutò sequi hanc sententiam, putat tamen cum *Nav. & Petsch. p. 576.* oppositam esse probabiliorem, nam spectato jure naturæ potest repetere, lex autem concedens potestatem non solvendi est pœnalis, uti antè dictum est, quæ non obligat ante sententiam Judicis, nec privatâ auctoritate potest executioni mandari, cum executio sit actus Judicis.

§. 19. *Mol. Less. Sayr. & alii* dicunt in foro 222  
conscientiæ posse deduci etiam voluntarias expensas in ornatum non separabilem, quia res per illas facta est pretiosior potestque pluris vendi, videtur autem iniquum, ut quis ditescat ex damno alterius: *Sanch. Laym. Rebell. Castrop. & alii* dicunt deduci non posse, quia Dominus injustè

cogeretur ornatum illum emere : *Lugo & Haun.* dicunt possessorem bonæ fidei posse deducere partem earum, non autem totas, quia hic ornatu est veluti merx obtrusa, quæ ideo æstimari debet vilior : quod *Illf.* n. 56. permittit etiam possessori malæ fidei.

223 §. 20. Bonæ fidei possessor deducere potest expensas factas in fructus naturales & mixtos naturæ respondententes, si adhuc existent & ad dominum redituri sunt, non autem factas in fructus bonâ fide consumptos, ex quibus non est factus ditior, uti cum *Mol.* notat *Dicast.* n. 70., cum enim Dominus ex his ultimis nihil recipiat, iniquum foret ex his aliquid deducere : è contrâ possessor malæ fidei potest deducere expensas in illos fructus, licet hos consumpserit, nec fit factus ditior, quia tenetur hos domino restituere : neuter autem potest deducere factas in fructus industriales, quia hos fructus retinent.

224 §. 21. Inter expensas non sunt computandi casus fortuiti, nec damna per accidens causata, v. g. si ob labores immodicos in colendo agro alieno mortui sint equi tui, valor equorum deduci non potest, cum non sit expensa ordinaria pro cultura agri, sed tantum æstimatio laboris faciendi ab equis pro excolendo tali agro, uti rectè notant *Bald. & Dicast.* n. 68. ; nec plus deduci potest pro expensis, quam dominus ipse fuisset expensurus, v. g. si dominus pro excolendo agro suo tantum expendisset tres aureos, tu autem, quia non habes proprios equos & famulos, expendere debuisti sex, probabilius est cum *Tamb.* l. 8. t. 3. c. 4. §. 5. n. 15. & *Persch.* p. 575. te non posse deducere nisi tres aureos, quamvis fuisses bonæ

bonæ fidei possessor, quia plùs non cessit in utilitatem domini, quod autem tu sic patiaris damnnum, imputare debes casui: & *Conf.*, nam alteruter vestrum debet ferre illud damnnum, ergo cum expensæ illæ sint magis tibi quàm domino voluntariæ, potiùs tu quàm dominus ferre debes: videtur tamen etiam esse aliqua æquitas, ut uterque partem talis damni ferat, præsertim accedente sententiâ Judicis.

§. 22. Malæ fidei possessor non potest deducere expensas necessariò factas in rem ratione suæ injuriæ, sed tantùm illas, quæ independentè ab injuria fuissent faciendæ, v. g. si abstulit servum alienum, qui occasione fugæ incidit in morbum, expensæ factæ pro eo sanando, non possunt domino detrahi, quia secutæ sunt ex injuria, si enim servus non fuisset sublatus; non fuissent necessariæ, quia servus non ægrotasset.

§. 23. Melioramenta, si sint extrinseca, spectant ad possessorem, sive sit bonæ sive malæ fidei, uterque enim manet eorum dominus potestque auferre, *Laym. Bonac. p. 12. §. 2. n. 5. Lugo n. 62.* E contra si sint intrinseca, *Rebell. & alii cum Sanch. in Dec. l. 2. c. 23. n. 193.* dicunt possessori bonæ fidei tantùm esse aliquid compensandum, nam possessor malæ fidei debet suæ injuriæ hoc damnnum imputare: *Tamb. n. 14.* putat nequidem possessori bonæ fidei esse de jure aliquid compensandum, quia iniquum videtur cogere dominum ad illa emenda: *Less. n. 113. Lugo n. 63.* & alii dicunt etiam possessori malæ fidei aliquid compensandum arbitrio boni viri, quantùm nempe res facta est utilior, secundùm dicta n. 221. & 222., quia melioramenta ordinariè

nariè sunt expensæ utiles, quæ refundendæ sunt, cum enim possessor teneatur tantum compensare damnum per injuriam suam causatum, his compensatis æquum est ipsi cætera reddi. Hanc sententiam dicit esse sine dubio probabilem. *Petsch. p. 579.*, mihi videtur probabilior.

227 §. 24. Plus deduci non potest pro melioramentis, quam quantus est & manet auctus valor rei, quando ad dominum redit, uti rectè *Mol. t. 2. d. 463. col. 936. Sanch. n. 147. Lugo n. 52. Dicast. d. 5. n. 71. Rebell. Castrop. ff. n. 55.* & constat ex *L. In fundo, ff. De reivindicatione*, Ratio autem est, quia tantum hoc emolumentum habet dominus ex melioramentis vel expensis alterius, ergo non tenetur illi plus compensare: hinc si expendisti 30. aureos, cui etiam initio respondebat melioramentum agri tantundem æstimabile, postea autem, dum ager ad dominum redit, valor melioramenti æstimabilis non est nisi decem aureis, non potes deducere nisi decem: quod si valor rei, quando ad dominum redit, sit major, attamen creverit sine tuis expensis, nihil ideo poteris deducere, quia res & valor rei crescit suo domino, hinc si plantando silvam in sterili fundo alieno insumpsisti tantum 10. aureos, quamvis fundus & silva, dum ad dominum redit, valeat mille aureis, tantum deducere poteris decem, quia arbores incrementis fundo statim acquisitæ sunt domino, hinc valor auctus ex crescentia arborum accrevit domino.

228 §. 25. Si malæ fidei possessor ideo fecit melioramenta, ut dominus non potens refundere expensas cogereetur eam ipsi relinquere, dominus potest repetere rem non refundendo expensas.

fas, tum quia dolus non debet illi patrocinari, tum etiam quia sic meliorando fecit injuriam damnosam, quam non potest reparare, nisi restituendo rem non deductis expensis, ergo ad hoc tenetur: putatque *Sanch. n. 145.*, quamvis dominus postea sit solvendo, tamen non teneri refundere expensas, sed oppositum videtur probabilius cum *Navarra & Petsch. p. 577.*, quia compensatum est illi totum damnum, uti suppono, videtur autem iniquum, ut melioramentum habeat gratis & cum damno alterius, uti n. 226. dictum est.

§. 26. Compensatio pro expensis deduci debet ex fructibus perceptis, quamvis hi consumpti sint, & possessor, etiam bonæ fidei, non sit ex his factus ditior, quia quò plures fructus percepit, eò minùs censetur de suo expendisse pro re domini, recepit enim fructus perceptos, non aliter ac si dominus aliunde dedisset illi æquivalens pro his expensis, quod ipse dilapidasset, alioquin non dilapidaturus, nisi recepisset, unde quòd ex illis non sit factus ditior, sibi imputet, re ipsa enim accepit fructus, qui erant compensatio pro expensis, ita *Petsch. supra.*

Q. 48. Si valor rei vel fructuum fuerit varius intra tempus, quo sunt erepta & consumpta, secundum quem valorem sit restituendum. R. Non debet attendi præcisè ad valorem, qui fuit, sed ad damnum, quod domino illatum est & compensari debet: ut autem hoc damnum taxari possit, probabilius est attendi debere ad tempus, quo iniquus detentor rem consumpsit, & quo à domino fuisset consumenda vel distrahenda, ita *Med. Vasq. Mol. Rebell. Turr. alii que cum Lugo d. 18. n. 121.*

&

& in re consentit *Dicast. de Restit. d. 2. n. 29.* Ratio est, quia si reparetur damnata, quod domino causatum est, redit æqualitas, & tantundem est, ac si nihil fuisset ereptum vel detentum, ergo satisficit sic restituendo: ut tamen hoc melius intelligatur, addenda sunt aliqua: quod autem dicam de re, intelligendum est etiam de fructibus, quando hi restitui debent.

- 231 §. 1. Valor rei potest variari, vel intrinsecè vel extrinsecè: intrinsecè variatur, si res in se fiat vilior aut melior, sic pullus equinus, dum est juvenis, est in se vilior, cùm adolevit, est in se melior, cùm senescit, iterum fit in se vilior. Extrinsecè variatur, si res in se manens eadem, jam pluris jam minoris æstimetur, v. g. propter copiam vel raritatem ejusmodi rerum, propter multitudinem vel paucitatem emptorum; & sic fieri potest, ut idem triticum, quod in Januario valuit tribus, valeat in Augusto quatuor, in Octobri duobus aureis.
- 232 §. 2. Non semper sufficit restituere valorem, quem res habebat eo tempore, quo dominus eam consumpsisset vel alienasset, est communis cum *7lls. t. 4. d. 3. n. 152.* contra *Bonac. de Restit. d. 1. q. 3. p. 11. n. 9.*, cujus sententiam *Rebell. & Dian.* vocant probabilem, *Lugo* autem n. 119. negat esse probabilem: Ratio est, quia aliàs furatus pullum equinum, quem postea factum equum vendidit 40. aureis, satisfaceret restituendo 10. aureos, si dominus eum pullum adhuc juvenem fuisset venditurus 10. aureis, hoc autem dici non potest, nam postea factus equus valuit 40. aureis, & fur tum injustè detinuit & vendidit, ergo ex hac injusta usurpatione tenebatur hunc valorem

rem restituere, quàm primùm habuit, ergo etiam tenetur postea. *Nec obstat*, quòd dominus pro illo tantùm habuisset 10. aureos, adeoque videatur passus damnum tantùm 10. aureorum, nam contrà est, quòd quando equus creverat ad valorem 40. aureorum, equus erat res domini, ergo 40. aurei spectabant ad dominum, quibus cùm privetur dominus, utique damnificatur in toto illo valore rei suæ. Admittunt hæc nobiscum *Laym. l. 3. t. 2. c. 4. n. 6. Less. l. 2. c. 12. n. 105. & Dicast. n. 37.* in rebus, quarum valor intrinsicè creverat, sed si tantùm extrinsicè crevisset, v. g. si fur in Augusto consumpsisset triticum, cujus valor tum creverat ad 4. aureos, & dominus non fuisset consumpturus nisi in Octobri, quo valor decrevisset usque ad 2. aureos, putant non tenere restituere nisi 2., quia incrementum extrinsicum non erat aliquid domini, nec propriè spectans ad rem, sed consistebat in extrinseca æstimatione hominum, quæ postea periit sinè culpa furis, ergo dominus non patitur damnum ratione rei suæ, neque habet jus ad pretium rei suæ, nisi quatenus opus est ad refarciendum damnũ, nec fur ex culpa sua reportat commodum, sed ex diverso eventu rerum. Hanc sententiam dicit *Petsch. p. 223.* esse valde probabilem & in praxi tutam, tenet tamen oppositam cum *Lugo*, quam *Tamb. l. 8. t. 3. c. 2. §. 7. n. 13.* vocat verissimam, ratio est, quia etiam extrinsecus valor spectabat ad dominum, & licet esset physicè extrinsecus rei, erat tamen moraliter intrinsicus, cùm faceret pluris vendibilem, ergo damnum est domino, quòd per injuriam furis hoc valore privatus sit.



233 §. 3. Non est semper obligatio restituendi summum valorem, quem res habuit intermedio tempore, quo erepta & à fure est consumpta, v. g. si pullus equinus tempore, quo fur eripuit, valebat 10.; factus equus, 40.; postmodum, cum senuerat, à fure venditus sit 10. aureis, fieri potest, ut fur non teneatur restituere nisi 10. aureos, ita *Lug. n. 120. Ills. n. 160. contra Nav. Gabr. Silv. Angel. Malder. & alios*, quorum sententiam *Laym. & Lug.* vocant probabilem. Ratio nostra est, quia si Dominus etiam fuisset conservaturus illum equum usque ad illud senium, ita ut postea non valuisset ipsi nisi 10. aureis, non videtur ipsi causatum damnum nisi 10. aureorum, quamvis enim perierit valor medi tempore, tamen perit sine culpa furis, eodem modo periturus, si equus apud dominum mansisset, ergo dominus non est à culpa vel dilatione furis passus hoc damnum, ergo satisfacit fur, si restituat equum secundum hunc ultimum valorem, & compenset damna ac lucra totius temporis.

234 §. 4. Si dominus fuisset rem suam venditurus intermedio tempore, quo summum valorem habebat, aut si ideo tali summo pretio debuerit aliam emere, patet furem teneri restituere summum illum valorem, quia in tantum damnificavit dominum: quod si eo tempore intermedio dominus ipsemet fuisset consumpturus aut donaturus amico, adhuc tenetur fur valorem hujus intermedii temporis restituere, quia fuit injusta causa, ne dominus re suâ eo tempore uteretur, ergo debet reddere tantum, quantum valebat ille usus, nec satisfacit reddendo nunc rem similem, ita *Lugo n. 123. Tamb. n. 9. Petsch.*

*Persch.* p. 221. *Fls.* n. 164. contra *Vasq.* & *Turr.* E  
 contra si dominus eodem tempore rem suam  
 consumpturus vel alienaturus erat, quo fur con-  
 sumpsit, hic tenetur tantum restituere, quanti-  
 tum valebat, quia dominus plus non est damni-  
 ficatus, quam in valore, qui tum erat. Ad quid te-  
 neatur, qui distulit restitutionem ex causa, si inte-  
 rea fuerit varius rei valor, dicetur n. 252.

§. 5. Si dubitetur, quanti res fuisset valitura, 235  
 an apud furem sit deteriorata, an à domino fuisset  
 ad aliud tempus servanda, &c. videri possunt  
 dicenda n. 576.

§. 6. Si quis hodie occidat pullum equinum 236  
 alterius, qui post aliquot annos valuisset 40. au-  
 reis, *Arrag. Sotus, Bann. & Salon* dicunt restitu-  
 endos esse 40. aureos, sed communis & vera  
 sententia est cum *Molin. Less. d. 19. Dicast.* n. 117.  
 non esse obligationem restituendi, nisi quantum  
 pullus iudicio prudentum spectatis circumstan-  
 tiis nunc valebat, quia sic datur æquale, & repa-  
 ratur damnum: limitat rectè *Lug.* n. 81., si do-  
 minus pretio isto potuerit comparare similem,  
 si enim non potuit, injustè patitur damnum,  
 quod ex carentia illius pulli provenit: & idem est  
 de aliis rebus frugiferis, v. g. si tenera arbor præ-  
 scindatur, nec possit in locum substitui alia, si  
 quis ovem furetur, quæ protulisset multos a-  
 gnos, nec potuerit alia similis haberi. Et secun-  
 dum jam dicta explicari debet *S. Th.* opusc. 73. c.  
 20. dicens, si res ablata ex sui natura possunt secun-  
 dum naturam temporis augeri & crescere in pretio,  
 tunc tenetur spoliator restituere pretium ipsarum re-  
 rum, quod valiturae erant secundum naturam rei &

temporis, in tempore, quo vult restituere eas: intellige, si dominus aliunde non patiatur ideo damnum.

237 Q. 49. Ad quid teneatur, qui succedit possessori male fidei. R. §. 1. Si huic succedat tanquam hæres immediatus, & rem ab hoc acceptam consumat, etiam bonâ fide, neque inde sit factus ditior, tenetur restituere ex injusta acceptione, non sua sed antecessoris, quem repræsentat, & cum quo per fictionem juris facit unam personam, ideoque in ejus obligationem succedit, hinc tenetur restituere rem & fructus, item compensare damna & lucra cessantia ex mala fide antecessoris orta, quantum vires hæreditatis patiuntur, uti probabilius tenet *Lugo* d. 17. n. 79. Quod probabiliter etiam verum est de hæredibus mediatis, uti dicitur n. 490. Si tamen possedissent bonâ fide ortâ ex alio titulo quàm hæreditatis, jam mala fides antecessoris esset purgata, neque amplius censeretur causa damnorum consequentium; unde tantum tenerentur ex re accepta à tempore hujus bonæ fidei.

238 §. 2. Si bonâ fide succedat, non ut hæres, sed alio nomine, v. g. ut legatarius, donatarius, emptor, non tenetur ex injusta acceptione, sed tantum ex re accepta, quia non facit unam cum antecessore personam, neque censeretur succedere in vitis personalibus, quale est mala fides. Idem valet de Superiore Religioso, qui bonâ fide succedit antecessori malæ fidei, non enim succedit propriè ut hæres, sed uterque est tantum administrator, & posterior succedit vi electionis vel nominationis, ergo bonæ fidei ipsius non nocet mala fides antecessoris. Vide dicenda n. 490. & 491.

Q. 50.

Q. 50. Quid dicendum sit de illo, qui partim bonâ 239  
 partim malâ fide possedit rem alienam. R. Seqq. §. 1.  
 Si bonâ fide cœpit, sed postea malâ fide superveniente consumpsit, tenetur ex re accepta restituere pro tempore bonæ fidei, sed à tempore malæ fidei tenetur etiam ex injusta acceptione ad omnia damna, uti hæctenus dictum est, docentq; omnes communiter cum Lugo d. 17. n. 68., & habetur in Jure canonico Cap. Virgo. 34. q. 2. & item in jure civili L. 23. ff. De acq. rer. dominio. Ratio est, quia in ordine ad mores perinde est, sive accipias sive retineas injustè, cum utrobique idem jus alienum violes & simile damnum causes, si postmodum consumas. Nec obstat, L. 25. ff. De usuris, ubi dicitur eum, qui cognovit fundum esse alienum, adhuc facere fructus suos, donec evincatur fundus, nam hoc dato, non sequitur non esse obligationem restituendi, hoc enim dominium, quod acquirit, est tale, quale acquirit fur miscens cum suis pecunias alienas, quas tamen tenetur restituere.

§. 2. Si prius malâ fide possedit & consumpsit 240  
 partem, sed postea cum titulo apparenter justo bonâ fide consumat reliquum, si re ipsa Jus non habuit, idque postmodum resciat, tenetur ex injusta acceptione pro tempore malæ fidei; nec juvat illum bona fides post consumptionem superveniens: è contrâ tenetur ex re accepta tantum à tempore bonæ fidei, nam mala fides præcedens non fuit causa posterioris damni, quia fuerat purgata per bonam fidem supervenientem, unde in ordine ad sequens tempus erat moraliter, ac si non præcessisset mala fides.

241 §. 3. Si prius possedisti malâ fide , sed nihil consumpsisti , nisi postquam supervenerat bona fides , non teneris restituere , nisi ex re accepta , quantum factus es ditior , ob rationem jam datam ; quod Lugo confirmat hoc exemplo , nam si post tempus malæ fidei voluisses domino reddere rem suam , qui tamen dixisset , ut retineres , donec reposceret , si res hoc postremo tempore absque tua culpa periisset , causa hujus damni non esset tua prior injuria , sed hæc justa retentio , ergo idem est in nostro casu.

242 Q. 51. Qualis sit obligatio restituendi res per parva furta sublatas. R. §. 1. Rem quantumcumque levem ablatam teneris sub veniali restituere ; hinc si nulla causa rationabilis te excuset , non potes ab eo peccato absolvi , nisi restituas , secundum illud S. August. Non dimittitur peccatum , nisi restituatur ablatum , ita omnes & speciatim citati n. 191. cum Tamb. l. 8. t. 3. c. 2. §. 5. n. 2. Ratio est , quia talis nolens restituere vult continuare illud leve furtum , volens autem continuare , de illo non dolet , ergo nec potest ab eo absolvi : potest tamen facile esse justa causa excusans à restitutione , & sæpe potest præsumi consensus domini. Notat autem rectè Less. l. 2. c. 12. n. 50. semper expedire , ut Confessarius , etiam pro pœnitentia , injungat restitutionem rei illius levis ablatæ , aut ut tantundem det pauperibus , ne ex suo peccato reportet commodum , utque magis absterreatur , alioquin homines fiunt ad hujusmodi furtula faciliores & ad majora gradum faciunt : an autem restitutio rei levis possit præcipi sub excommunicatione , videri potest Dicast. de Restit. d. 9. à n. 34.

§. 2. Non est obligatio gravis restituendi ma- 243  
teriam tantum leuem sublatam cum intentione  
mortaliter mala, uti dictum est n. 190.

§. 3. Multi docuerunt, si quis etiam adver- 244  
tenter compleat magnam quantitatem per furta  
venialia ablatam, non fore mortale, sed opposi-  
tum constat ex dictis p. 1. n. 1005. Quod si illa  
quantitas gravis per parvas partes & venialia  
tantum peccata sublata sit, non esse sub mortali  
restituendam tenuerunt plures apud *Moyam* t.  
6. d. 4. q. 4. n. 4., sed dicendum est absolute esse  
obligationem gravem restituendi illa, quæ ali-  
quis per parva furta sustulit, si simul sumpta faci-  
ant materiam gravem, ita *Suar. Azor, Valent.*  
*Rebell. Sanch.* l. 1. c. 4. n. 10. *Lugo* d. 8. à n. 68.  
*Haun.* t. 2. n. 198. *Tambur.* l. 8. t. 3. c. 2. §. 5. n. 6.  
*Esp.* q. 32. *Moya*, n. 5., dicens oppositum nulla-  
tenus esse sustinendum, *Carden.* in 2. crisi d. 23.  
n. 90. alique communissime: *Probat*ur, quia  
*Inn. XI* damnavit hanc 38. prop., *Non tenetur*  
*quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum*  
*est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa*  
*totalis: ubi per Tò pauca, AA* intelligunt parva,  
uti notat *Pollenter* ad hanc propositionem. Ratio  
autem est, quia alioqui is, qui singulis diebus to-  
tius anni furatus est Titio solidum, in fine non  
reneretur sub mortali restituere summam 365  
solidorum, consequens autem est falsum, quia  
materiæ illorum parvorum furtorum coalescunt  
in unum damnatum grave Titii, ad similem mo-  
dum, quo omni die imponens parvum pondus  
in lancem libræ, tandem hæc parva pondera  
coalescunt in ordine ad faciendum pondus gra-

ve, ergo est obligatio gravis reparandi illud damnum: quod verum est, siue damnificatus sit unus homo siue sit communitas, una aut plures, cum hoc tamen discrimine, quòd ad damnum grave respectu communitatis plùs requiratur, secundùm dicta p. 1. n. 1012 & 1013. Vide dicenda hìc n. 417.

245 §. 4. *Oviedo* de pec. contr. 3. p. 7. n. 102. putat tum tantùm coalescere materias illas, si in se vel in æquivalente existant apud furem, non autem si fur consumpserit & non sit inde factus ditior, nec si purè damnificarit: hanc sententiam tenet etiam *Diana* p. 1. t. 6. R. 34., videturque approbare *Pertsch.* p. 172. multis eandem firmans: sed contrà est, nam ex prima læsione levi nascitur obligatio reparandi illud leve damnum, similis obligatio nascitur ex secunda læsione ad reparandum aliud leve damnum, item ex tertia, quarta & sequentibus, ex hoc enim, quòd accedant plures læsiones, non minuitur sed potiùs augetur prior obligatio, ergo ex omnibus illis parvis læsionibus nunc actu positis nascitur obligatio reparandi totum damnum grave, ergo si non reparetur, peccatur mortaliter, quia continuatur damnificatio gravis. *Conf.* ex *Sanch.* n. 16. nam si singulis diebus anni à me acceperis unum solidum mutuum, in fine anni illæ singulæ acceptiones, quamvis de se leves, coalescunt ratione materialium, & causant in te obligationem gravem reddendi totam summam illorum solidorum, etiam si ex his non esses factus ditior, est autem simile in nostro casu, ergo.

§. 5. *Objiciunt* 1. Ex culpa veniali nascitur 246  
obligatio tantum levis ad partem levem, uti dictum est n. 185., sed hic est culpa tantum venialis, ergo. *Respondent* 1. Lugo n. 69. *Haun.* n. 208. alique, hanc obligationem gravem non oriri præcisè ex culpa, sed esse veluti pœnam conventionalem, quam fur sibi imponit per singula furta, quasi promittens sapius restituere, si sæpius furetur: sed hoc meritò rejiciunt *Tamb.* n. 7. & *Petsch.* p. 171., nam in primis furans potest absolute nolle restituere quicquam, quantumcumque furetur, ergo gratis dicitur consentire in tale pactum: *Si dicas*, in casu, quo nollit, per legem Dei obligari: *contrà* est, ergo ex lege tantum positiva tenetur, quod nemo dicet: deinde si ex multis levibus obligationibus ex quasi conventionione possit constari una gravis obligatio ad restituendum totum damnum, etiam poterit constari ex multis levibus obligationibus provenientibus ex multis culpis venialibus. *Respondet* 2. *Tambur.* furem, si statim restituat, quando advertit fieri materiam gravem, prævenire peccatum, si autem non restituat, incipere injustè detinere, & ex hac detentione obligari: *contrà* est, si graviter peccat detinendo, ergo antecederet erat obligatio gravis illud restituendi: quæro unde? Itaque *R.* 3. dist. maj., ex culpa veniali nascitur obligatio tantum levis ad rem levem, si hæc culpa sit unica, vel non tot, ut his causatum sit damnum grave, c, si sint multæ, quibus causatum sit damnum grave, n. maj.; disparitas est, quòd quando per unicam actionem venialem causatum est damnum etiam grave, damnum totum non est voluntarium; è *contrà* si per plu-



res actiones causetur damnum grave, singulae habent rationem pleni voluntarii respectu partis suae, & haec partes simul sumptae conflant materiam gravem, ergo totum damnum est plene voluntarium, ergo merito ex illis culpis obligatur ad totum damnum reparandum, sic tamen, ut haec obligatio gravis restituendi totum non fundetur in gravitate injuriae formaliter sumptae, sed in gravitate materiae debitae propter leves injurias formaliter sumptas.

*Instab.* Multa venialia nunquam faciunt unum mortale, ergo multae obligationes leves nunquam faciunt unam gravem. R. Multa venialia nunquam faciunt formaliter unum mortale, c, nunquam faciunt objective, n. antec., & simili modo c. vel n. conseq., quamvis enim venialia & obligationes leves nunquam ita uniantur inter se, ut in se fiant mortale vel obligatio gravis, potest tamen ex multis venialibus & ex multis obligationibus levibus consurgere tanta materia, ut sit objectum peccati mortalis & obligationis gravis.

*Instab. 2.* Si Titius unâ vice abstulerit aureum, Caius autem per multas vices tantum veniales, & neuter sit inde factus ditior, recta ratio dicit, quod Caius non debeat ita graviter obligari ad restituendum totum, sicuti Titius, ergo cum Titius obligetur sub mortali, Caius tantum sub veniali obligabitur. R. Recta ratio dicit, quod Caius non debeat ita graviter obligari, ex vi injuriae formalis praecise, c, ex vi gravis materiae per injurias formales ablatæ, n. ant. & conseq.

*Instab. 3.* Qui minus peccavit, non meretur tantam poenam, sed Caius minus peccavit, & haec resti-

restitutio est veluti pœna, ergo. R. Qui minùs peccavit, non meretur tantam pœnam, præcisè respondentem culpæ, c, respondentem damno per formales culpas causato, n, cùm enim uterque fecerit æquale damnum per formales culpas, damnum autem per singulas culpas factum compensari debeat per singulas restitutiones, utriusque resultat pœna totius damni reparandi.

*Obj. 2.* Si sit obligatio gravis reparandi damnum grave per parva furta causatum, ergo si plures sint aliquid parvum furati Titio, non quidem communi consilio, attamen advertentes inde resultare Titio grave damnum, v. g. si mille homines acceperint singuli unam uvam ex vinea, singuli tenebuntur restituere sub mortali. R. seq. concedunt *Covarr. Med. P. Nav. Sayr. Suar. Vasq.* alique cum *Mol. T. 3. d. 689. & Bonac. de restit. d. 2. q. 8. p. 9. n. 6.* sed probabiliter negant ex justitia teneri *Sanch. Less. Esp. supra, Lugo d. 16. à n. 55. Dicast. l. 2. t. 2. d. 9. n. 82. Oviedo n. 111. Petsch. p. 168. Tann. Diana & Sporer t. 5. c. 5. n. 47.*, quia iniusta acceptio singulorum est tantùm venialis, uti dictum est p. 1. n. 1010. & partes reliquæ à singulis acceptæ non sunt singulis imputabiles. *Dixi, ex justitia, nam Laym. l. 3. t. 3. p. 1. c. 1. n. 3. & alii cum Sporer n. 45.* dicunt teneri ex charitate sub mortali compensare pro sua parte, si exemplo suo alios moverit ad furtum, & spes probabilis sit alios etiam compensaturos, si ipse compenset, sed AA: p. 1. n. 1009. relati, qui dicunt talem exemplo suo moventem peccare mortaliter contra justitiam, dicere debent consequenter etiam ex justitia teneri sub mortali suam partem restituere, si aliàs

reliqui non essent compensaturi : Itaque tum aliquis sub mortali tenebitur tantum ex charitate, si movit alios, attamen credat futurum, ut restituant, si ipse prior aut simul restituat leve illud, quod abstulit, tum enim sine gravi incommodo potest & tenetur avertere grave damnum, quod proximus haberet ex carentia restitutionis, quam facere tenetur.

*Instab.* Ergo poterit grave damnum causari alicui, ad quod tamen reparandum nemo ex justitia sub mortali teneatur. R. C. seq. cum *Less. Salas, Dicast. n. 80. Ovied. n. 118.*, cum enim totum damnum non fit datum nisi per injurias veniales diversorum hominum independenter ab invicem operantium, satis est singulos sub obligatione levi teneri restituere partem suam, cui obligationi si satisfaciant, alter recipiet totum. Videri possunt plura circa hanc materiam apud *Oviedo à n. 110. & Haun. à n. 197.*

248 Q. 52. *An sit obligatio restituendi totam materiam gravem, quam quis abstulit. R. §. 1.* Esse, nam n. 242. diximus esse veniale nolle restituere quamcumque partem levem furto ablatam. Unum objici potest, nam supponendo, quod 4. solidi sint materia gravis respectu pauperis, non autem respectu divitis, si pauper abstulerit diviti 4. solidos, eosque amiserit, pauper tenebitur hos 4. solidos restituere diviti, hoc autem videtur inconveniens, nam pauper subiret damnum grave, cum tamen dives passus sit tantum leve damnum, justitia autem non obligat, ut inferens damnum leve, subeat damnum grave. R. 1. Si argumentum valet, ergo pauper nunquam tenetur restituere diviti totum, quod abstulit etiam  
cum

cum culpa mortali, si inde non sit factus ditior, quia pauperi erit gravius damnum, quàm diviti. R. 2. Justitia non obligat, ut inferens damnum absolutè leve, subeat damnum ex parte objecti absolutè grave, c, ut inferens damnum comparativè leve respectu damnificati, subeat grave comparativè ad damnificantem, n, nam id per accidens est, & cùm pauper non possit aliter reducere æqualitatem jurium, ad hoc tenetur.

§. 2. Probabilius videtur ad evitandum mortale satis esse restituere tam multum, ut reliquum, quod non restituitur, sit solum materia levis, v. g. si materia gravis respectu illius, cui furatus es, sint 30. stuferi, & 29. sint materia levis, si furatus sis 30. & restituas unum, quamvis retineas 29., non videris peccare nisi venialiter, ita *Sanch: l. 7. c. 21. n. 9. Less. Ovied. de pec. contr. 3. p. 7. n. 109. Rebell. Vasq. Bonac. alique multi cum Dicast. de Rest. d. 9. n. 62. contra Med. Cordub. Lop. & alios, quos sequitur Esp. q. 36.*, saltem in casu, quo ex iniusta acceptione est obligatio restituendi. Ratio nostra est 1: quia si ab initio esses furatus tantum 29., non peccares mortaliter hos retinendo, uti supponitur, ergo neque nunc, si uno restituto retineas 29., idem enim est jus contra primum furtum & contra hanc retentionem. 2. Qui intulit grave damnum in fama, & illud imminuit ita, ut non maneat grave, ille non amplius tenetur sub mortali ad restituendum, uti fatetur *Esp.*, ergo idem dicendum est in aliis rebus restituendis. 3. Si quis vovisset quotidie orare rosarium sub pœna bis orandi sequente die, si hoc die omisisset, cras orans, v. g. tres decades ad supplendum pro hac die

die

die, evitaret mortale, uti fatetur *Esp.*, idem autem est in nostro casu, disparitates enim, quas affert, re ipsa non videntur facere ad rem.

250 §. 3. *Obj. 1.* Communis & quasi naturalis sensus omnium hominum est, quod sic restituens non satisfaciat, sed tantum eludat justitiam, ita *Esp. R.* Communis sensus est, quod non satisfaciat plenè sed in re levi eludat justitiam, c, quod non satisfaciat, quantum necesse est ad vitandum mortale, aut quod in re gravi eludat justitiam, n,

251 *Obj. 2.* Qui in materia gravi est læsus, hoc ipso acquisivit jus ad repetendam materiam gravem, ita ut meritò sit graviter invitus, si reddatur tantum pars levis, nisi fortè fiat sub conditione reliquarum etiam reddendarum, ergo non satisfit reddendo partem tantum levem. *Prob. ant.*, acquisivit jus ad simultaneam restitutionem omnium partium ablatarum, ergo si non restituatur similtas omnium partium, fit illi injuria, ita *Esp. R. N. antec.*, ad *prob. dist. consequens*, ergo si non restituatur similtas, fit illi injuria, gravis, n, saltem levis, c: consequentiam: jus ipsius est divisibile, sicuti etiam partes sunt divisibiles, unde si non retineatur pars gravis, non læditur jus magnum, & consequenter non peccatur mortaliter.

*Instab. 1.* Ergo erit obligatio gravis restituendi materiam levem. *R.* Erit obligatio gravis restituendi materiam levem, non prout levis est, sed prout retenta cum aliis est constitutiva materiam gravis, & è contrà prout restituta est sublativa materiam gravis, unde est obligatio gravis tollendi

di

di gravitatem materiæ, sive illam gravitatem convertendi in levitatem.

*Instab. 2.* Obligatio gravis respicit materiam gravem. R. Respicit materiam gravem, quæ tota sub mortali restitui debeat, n, quæ sub mortali eousque restitui debeat, ut non maneat gravis, c, & hoc fiet in nostro casu.

*Q. 53.* An sit obligatio compensandi damna orta ex dilatione restitutionis. R. Culpabiliter differens restitutionem tenetur compensare damna, uti patet: è contrà si delatio non sit culpabilis sed superveniat, v. g. ex impotentia restituendi, AA distinguunt, nam si debitum erat ex delicto, *Molin. Laym. Rebel. Lugo d. 21. n. 17. Less. l. 2. c. 16. n. 32. Dicast. de Rest. d. 10. n. 76. Tamb. l. 8. t. 3. c. 2. §. 6. n. 5. Ills. t. 4. d. 3. n. 262. Petsch. p. 212.* aliique communiùs obligant ad refarcienda damna, quia injusta acceptio, quæ præcessit, adhuc est causa illorum; *Nav. tamen Dian. p. 11. t. 2. R. 34. Burgh. cent. 1. cas. 10. & 24.* excusant, nisi prævidens & volens posuisset causam dilationis; quam sententiam *Dicast.* vocat probabilissimam, si causa differendi sit gravis necessitas vel periculum spirituale, quia ultima damna proveniunt ex justa dilatione solutionis, justa autem dilatio purgat moram, estque tum justa, quando in his circumstantiis fieri non potest solutio, tum enim creditor non potest esse rationabiliter invitatus circa dilationem; & secundùm hanc sententiam docet contra alios *Lugo d. 18. n. 43.*, si materia restituenda valebat 100: aureis, quando debebat restitui, & postea valet tantùm 80:, quando post dilationem justam restituitur, satis esse restituere valorem 80:, nam quando valebat

100: ;

100: , tum non tenebatur ex delicto formali & proximo solvere : Utraque sententia est probabilis , prima tamen probabilior : Notat autem rectè *7lls.* , si dilatio facta sit propter talem necessitatem , ob quam tum licuisset rem eandem auferre domino , non fore obligationem compensandi damna ex dilatione secuta , quia tum non imputarentur delicto sed necessitati , quæ sicuti excusasset acceptionem , sic nunc excusat retentionem : E contrà si obligatio restituendi non fit ex delicto , communis & vera sententia est cum *Lug. d. 18. n. 35.* non esse obligationem resarciendi damna orta ex dilatione , nisi forte expressè contraxissent de his resarciendis , etiam in mora non culpabili ; item nisi delatio postea cognosceretur esse domino damnosa & voluntariè fieret , tum enim succederet mala fides , & teneretur etiam de casu fortuito , ut colligitur ex *L. 18. ff. Commodati , & cap. Decima. 16. q. 1.* Vide dicenda à n. 357. Item n. 360. An differri possit restitutio , si aliqui damnum domino vel damnificatori causaretur , dicitur à n. 424. Non peccari autem mortaliter , si absque gravi damno domini ad breve tempus differatur restitutio , dictum est p. 1. n. 1002. Denique justas causas differendi restitutionem ad tempus , dabimus hic n. 360.

253 Q. 54. *Quid addendum sit circa lignantes vel pascentes in fundo alieno.* R. Seqq. §. 1. Lignans in sylva spectante ad privatum tenetur reparare totum damnum , sicuti si in alia re damnificasset , uti tenent omnes communiter , quamvis videantur dissentire *Sor. & Tolet. apud Dicast. de Rest. d. 9. n. 353.* Quod si communitas alicui privato  
elo-

elocarit sylvam alioqui communem, qui in ea lignatur, tenetur restituere, non aliter ac si ad personam privatam spectaret, quia communitas transtulit totum jus suum in illum, non aliter ac si pro tempore vendidisset, nam ideo in vicem accipit pretium elocationis, quæ est quasi venditio ad tempus, ita *Vasq. Lugo d. 6. n. 88. 7lls. t. 4. d. 2. n. 248.*, estque hoc conforme illis, quæ diximus p. 1. n. 970.

§. 2. *Dicast. & alii cum Burgh. cent. 3. cas. 254*  
 77. dicunt lignantem in sylva spectante ad communitatem, cujus ipse non est pars, quamvis ligna multa efferat & successivè vendat, non peccare mortaliter, nec teneri restituere, si non edat magnam stragem: admittit *7lls.*, si faciat in sylva communitatis vicinæ, tum enim talia damna mutuò compensantur, quod non est, si communitates vicinæ non sint; & tantò magis admittit *Lugo n. 86. & 89.*, si faciat in sylva communitatis, cujus ipse est pars: addunt *Sanch. Henriq. & Mol.* non fore peccatum, indies scindere unam sarcinam ad comburendum, quamvis scindens sit dives, qui possit emere, dummodo non scindat arbores sed ramos; item non fore peccatum scindere singulis septimanis 2. sarcinas ad vendendum; imò *Sanch. in Conf. L. 1. c. 5. d. 1. n. 21. & 35.* dicit, si oppidani soleant adinvicem cædere ligna ex sylva alterius communitatis, nequidem fore veniale, quia videntur ista licere per consuetudinem, aut saltem tantum sub pœna prohiberi vel per pacta disjunctiva, ut vel non cædant, vel si cædant & deprehendantur, solvant pœnam; quod etiam tenent *Mol. & Lug. n. 91.*; sed sententia

con-



contraria est probabilior ac communior cum *Bonac.*, quòd in hoc fiat injuria, possitque etiam peccari mortaliter, si attingatur materia gravis, secundùm dicta p. 1. n. 1012. & 1013., nam quævis communitas habet ad suas sylvas jus strictum contra alias communitates, neque scitur, quòd adfit tale mutuuum pactum, & capita communitatum procul dubio contradicerent, si interrogarentur: si autem lignans cædat in sylva suæ communitatis, quæ non relinquitur communis, sed solet dividi & assignari singulis pro parte, etiam facit injuriam ob rationem eandem: monent tamen rectè AA. quoad ista attendendum esse ad consuetudines & leges diversarum provinciis ac locis proprias.

255 §. 3. Quæ dicta sunt de ligatione & sylvis, intelligenda sunt etiam de pascuis, de quibus omnibus plura videri possunt apud *Lugo totâ l. & Dicast. dub. 13.*

256 Q. 55. Quid circaventionem, piscationem, aucupium, columbas, apes. R. De his multa habentur in *Instit. De rerum divisione, & De acqu. dominii* ex quibus, uti & ex illis, quæ jam addemus, facile colligetur, quando nam sit obligatio restituendi.

§. 1. Venatio de jure naturæ permissivo cuiuslibet concessa est, neque potest privatus eam prohibere in loco ad se spectante, non clauso speciali sepe vel muro, uti rectè *Lugo d. 6. n. 54.* quia feræ passim vagantes nullius sunt, & *L. 1. §. 1. ff. De acqu. possess.*, item §. 14. *Instit. De rer. divis.* dicunt fieri primò occupantis: possunt tamen Principes vel Resp. sub pœna prohiberi venationem aut piscationem in locis communibus,

nibus, vel etiam aliis ad privatos spectantibus, quamvis id facerent ob habendam aliquando solam recreationem, uti habet communissima, *Less. L. 2. c. 5. n. 33. Castrop. t. 31. p. 13. n. 4. Haun. t. 5. n. 74.*, & nunc certum esse dicit *Wils. t. 4. d. 2. n. 244.* contra celebres Juristas, tum quia id non habent per consuetudinem, tum etiam quia servit utilitati communi, ne subditi alias necessarias functiones negligant, ne eadem occasione ad latrocinia vel rebelliones armentur, ne feras vel pisces extirpent, capiendo nimis magno numero, vel dum gestant uterum aut semen &c.; putat tamen *Lugo n. 61.* non posse in universum prohiberi venationem vel piscationem, sed in certis locis vel certorum tantum animalium, dicit enim in universum prohibere, fore inhumanum, cum ista sint licita de jure naturæ, quod universalissimum est, quidquid in contrarium pugnet *Grotius l. 2. c. 2. n. 5.* Deinde pœna, sub qua prohibent, non debet esse capitis vel mutilationis vel flagellationis, nisi in raro casu, si quis sæpius & contumaciter repeteret, *Less. n. 45. Castrop. p. 14. n. 6. Lugo supra, Haun. n. 80.* Similiter prohibere non possunt Principes, ne subditi feras arceant vel abigant à frugibus, uti omnes fatentur cum *Haun. n. 76.*, quod si aliter arcere non possint, possunt occidere, uti habent *Sa & Less. n. 37.*, cuius enim licitum est defendere sua contra homines, ergo multò magis contra feras; & tenentur Principes restituere, si vel prohibendo, ne abigant, vel multiplicando feras, inducant rusticos in damna, uti habet communis cum *Less. supra,*

*Tom. III. L Castrop.*

*Castrop. n. 5. Dicast. d. 10. n. 297.* Quòd si etiam venando notabiliter proterant fata, excutiant grana, lædant vineas vel sepes, tenentur hæc damna compensare, uti cum *Less. n. 40.* docent omnes, qui hanc rem attingunt, nisi fortè Princeps per liberum populi consensum acquisivisset absolutum jus venandi, ita ut populus censeretur renuntiasse suo juri, & id voluisse permittere, uti notant *Mol. & Less. apud Laym. l. 3. t. 1. c. 15. n. 16.* sed rectè monet nunquam censi consensisse in immodica damna.

257 §. 2. Etiam si aliquis circumducatur septo sylvam, aut vallo stagnum suum, si tamen sylvam vel stagnum sit ita magnum, ut quantum vult, non possit accipere feras vel pisces, si ibidem nascantur, aut etiam aliunde importentur, dominus talis sylvæ vel stagni non censetur occupasse feras vel pisces, sed manent Juris communis, cum adhuc habeant naturalem libertatem, hinc ibi capientes acquirunt dominium, non aliter, ac qui venatur in insula trium vel duarum leucarum, *Less. n. 4. Laym. n. 12. Lug. n. 72. Dian. p. 9. t. 9. R. 3. Dicast. n. 312. & alii*; probatque ex jure *Hæc n. 63. 70. & seqq.* Notatque *Rebell. & ex ill. Dicast. n. 314.*, si locus sit ita magnus, quantum solet esse cursus feræ ad evadendum per fugam, censi retinere naturalem libertatem.

258 §. 3. Si fera etiam suâ sponte è loco publico incurrat intra vivarium Caji non ita vastum, quo exire nequeat, aut si pisces è flumine influ-

influant in piscinam, in qua facile capi possint, fiunt Caji, quia talia receptacula sunt ex natura sua ordinata ad talem capturam, & semper adest animus ibi capiendi, si adveniant, *Lug. supra, Haun. n. 85.*

§. 4. Si primus lethaliter tetigisti feram, eam-  
que persequeris, & moraliter non possit effugere  
manus tuas, fera tua est, quamvis alius superve-  
niens ultimo ictu lethali prosternat, ita *Less. n. 47.*  
*Dicast. Burgh. cent. 3. cas. 34. Haun. n. 65.* In du-  
bio tamen, an tu primò lethaliter tetigeris, vel  
an esset evasura, spectabit ad posteriorem, quia  
fera mansit in possessione naturalis libertatis suæ,  
ergo non fuit à te capta, sed à posteriore primò  
occupatur, *Less. Dicast. Tamb. L. 1. c. 3. v. Venatio,*  
*Lug. n. 83. Burgh. supra contra Laym.,* qui dicit  
esse dividendam. Quòd si tu, qui lethaliter teti-  
geras, desinas eam persequi, tum erit primò ca-  
pientis, *Molin. & alii cum Sa v. Venatio n. 2.*

§. 5. Si feram persequens eò redegeris, ut  
te longiùs effugere non possit, attamen non  
vulneraveris, & alius ipsam in istas angustias  
redactam ante te apprehendat, est hujus & non  
tua, uti rectè *Lug. n. 79. Haun. n. 68.* contra  
*Molin. & alios:* E contra si dederas talem ictum  
feræ, eamque persequaris, ita ut te effugere  
non posset, interim illa incidat in laqueum à  
Titio positum, ex quo etiam evadere non pos-  
set, *Lug. supra* dicit totam spectare ad Titium,  
quia Titius primus re ipsa cepit, tu autem priùs  
eras capturus, *Less. n. 50.* dicit esse vel tuam vel  
Titii, si tu vel ille primus occupet, tu enim ha-  
bes jus occupandi, quia sic vulnerasti; habet

etiam Titius, quia sic illaqueavit; *Molin. & Jlls.* n. 241. probabilius dicunt esse tuam, quia per ictum lethalem, ob quem non poterat manus tuas evadere, jam censebaris moraliter occupasse, ergo per accidens se habet laqueus Titii, aut tibi tantum servire poterat.

- 261 §. 6. Si fera laqueo à te posito sit capta, secundum *Covarr. & Nav.* est illius, qui eximit, nisi alicubi sit contraria consuetudo: secundum *Molin. Laym. Less.* n. 49. *Platel.* p. 3. n. 555. *Jlls.* supra, si ita capta est, ut non posset evadere, est tua, quia per tuum instrumentum ei sufficienter ademisti naturalem libertatem, ergo acquisivisti jus saltem ad illam. Si erat se tandem extricatura ex laqueo, dicunt dividi debere inter te & illum, qui eximit, quia uterque simul cepit, & neuter sine altero cepisset: *Harr.* n. 69. putat sic esse distinguendum, si laqueus positus erat in loco publico vel in loco alieno cum consensu domini, tenet cum *Molin.*; si verò positus erat in alieno loco, invito domino, dicit hunc posse non solum feram, sed etiam laqueum licite eripere, & ita habere praerogativam: *Jlls.* n. 241. dicit, sicut non obligarem venatorem ad reddendam feram domino loci propter expressè contrariam legem 3. ff. *De acquir. domin.*, sic nec dominum loci obligarem ad reddendam prius exemptam feram venatori, eò quòd praeventio videatur subrogari posse satisfactioni injuriæ pro venatione vel aucupio in loco alieno sine domini consensu. Quòd si laqueus in publico loco positus fuerit, vel cum consensu domini, sed dubium sit, an fera fuisse

fer

set evasura, secundum *Molin. Less. & Laym.*, est dividenda pro rata dubii, quia videtur habere uterque jus; secundum *Lugo n. 83. & Tamb. supra*, tota est capientis, quia fera in dubio non præsumitur amisisse libertatem, unde nec pro spe satisfaciendum erit illi, qui posuit laqueum, uti non satisfacio pro spe illi, præ quo in concursu accipio beneficium; satisfieri tamen debet pro labore positi laquei, quia de illo posito certus est, & hic viam fecit ad prædam, ita *Tamb.*; possuntque etiam hæc applicari ad nassam in flumine positam pro capiendis piscibus, uti notat *Less. n. 50.*

§. 7. Si quis egrediatur limites venationis 262  
sua, & in alienis limitibus nulli speciali sepimento clausis capiat feras, *Bonac. citans Molin. Fill. & Sa* dicit eum peccare mortaliter, & teneri restituere, quia læsit jus cum damno: *Laym. n. 14.* dicit peccare posse mortaliter, quia violatio talis juris soli alteri competentis solet magni æstimari, maximè si frequenter fiat; sed non ideo debetur restitutio ferarum, quia non erant sub dominio alterius, sed adhuc jure Gentium communes: admittunt tamen AA communiùs contra *Vasq. & Lugo n. 69.* esse obligationem reparandi damna, si v. g. captis feris plerisque sylva multùm vilesceret: *Turr. Dicast. & Less. n. 44.* putant peccari tantùm venialiter violando tale jus, si feræ non patiantur magnam stragem; imò *Burgh. cent. 1. cas. 52.* valde probabiliter putat ordinariè nequidem venialiter peccari, quia domini passim id sciunt & ipsimet faciunt, videnturque invicem consentire, contenti multatâ

vel poenâ , si quis in factò deprehendatur.

263

§. 8. Qui alterum impedit à venatione, piscatione, aucupio, ad quod jus habuit, facit injuriam, & tenetur compensare, quantum alter deductis expensis putabatur lucraturus, si impeditus non fuisset, *Castrop.* p. 13. n. 7. Similiter si quis aquas, ubi alter jus piscandi habet, inficiat, ita ut pisces moriantur, tenetur restituere, non pisces, ad quos utpote naturali adhuc libertate gaudentes alter necdum habebat jus, sed quantum per jus piscandi violatum, censetur impeditum esse lucrum, *Less.* n. 43. *Dicast.* tamen n. 308. putat per hoc non fieri injuriam, adeoque non deberi restitutionem, quia necdum erat jus ad illa animalia per venationem capienda, nec jus piscandi est impeditum, sed tantum pisces sunt prærepti.

264

§. 9. Qui animalia domestica capit, etiam si extra dominorum potestatem longius evaserint, tenetur restituere, uti habetur §. *Gallarum*, 7. *Instit. De rerum divis.*, docetque cum communi *Less.* n. 28. Idem est de capiente animalia silvestria, sed usu jam mansuefacta, quæ domum redire solent, quia non ideo libertatem recuperarunt, quòd à domo tempore aliquo aberrent, tum enim tantum dicuntur eam recuperasse, si ita evaserint, ut difficulter iterum reduci possint, nec sperentur sponte reditura: si tamen hæc animalia amitterent consuetudinem redeundi, nullius essent, & fierent primò occupantis, essent enim iterum silvestria, *Dicast.* n. 315.

§. 10.

§. 10. Licitum est habere columbas , uti 265  
 tenent communiter omnes , probantque *Less.*  
 n. 29. *Lugo* n. 42. *Haun.* n. 81. *Dicast.* n. 319.  
 Rationes præcipuæ sunt , 1. Consuetudo : 2.  
 Permissio Reip. : 3. Major utilitas , si enim  
 manerent silvestres , fugerent manus coquo-  
 rum & magis multiplicatæ majus damnum in-  
 ferrent frugibus &c. Hinc illicitum est , per se  
 loquendo , occidere columbas pascentes in  
 agro tuo , quamvis possis abigere : quòd si  
 dominus eas in fame teneret domi , ut egressæ  
 irruant in alienas segetes , putant *Tol. & Lugo*  
 n. 48. posse occidi vel capi , quia tum videtur  
 fieri fraus contra jus eorum , ad quos spectant  
 segetes , & præter permissionem ac men-  
 tem Reip. ; sed in hoc spectanda est consue-  
 tudo locorum & communis prudentum sen-  
 sus.

§. 11. Qui per fraudem vel per inusitatas 266  
 illecebras capit alterius columbas , tenetur  
 restituere , nisi fortè alicubi sit consuetudo  
 & tacitus consensus eas quomodocunque sibi  
 mutuò subducendi ; quia cùm sint animalia  
 domestica vel saltem mansuefacta , sunt alte-  
 rius , & tam parum abduci possunt , quàm  
 gallina aut canis , *Less.* n. 28. *Lugo* n. 43. *Haun.*  
 n. 82. *Jlls.* n. 242. *Dicast.* n. 325. Si tamen co-  
 lumbæ alienæ aggregarint se tuis , & deserue-  
 rint consuetudinem redeundi ad alterum , fi-  
 unt tuæ : dicunt autem multi tum deseruisse  
 consuetudinem redeundi , si bis terve tempo-  
 re consueto non redeant , sed tuas comiten-  
 tur , quod non approbat *Jlls.* , dicens non



esse attendendum ad emanationem duorum aut trium dierum , sed ad iudicium prudentum & consuetudinem provinciarum. Vide *Dicast.* n. 316.

267 §. 12. Examen apum , quamvis evolet , tamdiu manet Titii , quamdiu in ejus conspectu versatur , nec difficilis est ejus prosecutio , uti habetur §. 16. *Instit. De rer. divis.* Quòd si difficile sit Titio illud sequi & recuperare , potest à quolibet capi , etiamsi arbori Caji adhæserit vel in ejus cavitate se receperit , sicuti enim avis non ideo est tua , quòd arbori tuæ infideat aut in ea faciat nidum , ita nec apes ; idque etiam ex jure probat *Less.* n. 32. *Lugo* n. 73. *Haun.* n. 84. , maximè cum apes sint de genere animalium silvestrium. Addunt tamen *Lugo & Haun.* n. 85. , si vidisti apes ingressas esse tuam arborem & ibi possidere voluisti , tuas esse , potes enim velle habere inclusas arbori velut alveari. Econtra , si alveare tuum posuisti vacuum in aliquo loco , v. g. ut exficcaretur , & interea peregrinum examen apum in illud involaret , non ideo esset tuum , sed quisque posset eximere , uti etiamsi avis in tuum cubiculum involasset , non ideo esset tua , sed qui primus apprehenderet , ad illum pertineret , quia nempe in utroque casu deficit tibi animus sic apprehendendi , qui animus requiritur ad capiendum dominium : si autem ideo exposuisses alveare , aut aperuisses , & postea clauderes fenestram , apes & avis essent tuæ , quia apprehendisses cum animo possidendi , ita *Lugo* n. 73.

**Q. 56.** *Quid notandum sit circa tributa, gabellas, vectigalia.* **R.** *Sequentia.* §. 1. Per tributa, gabellas, vectigalia, intelliguntur illa, quæ subditi contribuent ad communem utilitatem, ad publicas necessitates, ad sustinendos magistratus vel dignitatem Principum &c.; possuntque hinc sumi pro eodem, quamvis inter ea sit aliqua distinctio, uti rectè notat *Dicast.* l. 2. t. 20. d. 2. à n. 1.; certum est autem, de jure naturæ & positivo, tam divino quàm humano, Principibus aliqua tributa deberi, uti rectè probat *Beja* p. 1. cas. 13., quis autem præterea possit tributa imponere, tradunt *Dicast.* dub. 2. & 3. & *Lugo* d. 36. f. 1. & 2., ubi rectè addunt ad justitiam eorum requiri, ut ad illa sit necessitas, & exigantur proportionatè ad illam necessitatem & ad facultates subditorum, secundùm æqualitatem seu proportionem geometricam: quomodo autem in comitiis debeant se habere illi, ad quos spectat consentire in tributa: item quid respondere debeant TT.: si circa impositionem illorum interrogentur, quando non omnino patet eorum justitia, fusè exponit *Lugo* S. 3. Unum hinc notandum est, quòd Principes & Magistratus injustè agant, si reddant aliquem immunem ab oneribus communibus, imponendo vel relinquendo aliis tantò gravius onus consuetam summam contributionum pendendi, uti ex Jure & Auctoritate prob. *Delb.* de Immunit. Ecclesiast. c. 5. d. 26. n. 3.

§. 2. *Nav. Angel. Beja* aliique multi docent leges de solvendis vectigalibus esse tantùm pœnales, & non obligare in conscientia, quam sen-

tentiam *Less.* l. 2. c. 33. n. 55. *Bonac.* de Restit. d. 2. q. 9. p. 1. n. 3. aliique dicunt esse probabilem; probabilius tamen est, quòd obligent in conscientia, & quidem ex justitia, uti docent plurimi cum *Sanch.* in Conf. l. 2. c. 4. d. 1. n. 8. *Lug.* l. 4. *Dicast.* d. 3. d. 2. & seqq. *Sporer* t. 5. c. 5. n. 150. *Mendo* D. 6. q. 1. nam scriptura ad *Rom.* 13. dicit, *Reddite omnibus debita, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal: & Matt.* 22. *Reddite ergo, quæ sunt Cesaris, Cesari, & quæ sunt Dei, Deo.* Ratio est, quia tributum non debetur ut pœna, sed Magistratus vel Principes, cum serviant Reip:, habent jus strictum ad ea exoscenda, quæ sibi necessaria sunt, tam ad sustentationem suam, quam ad sustinenda onera, ad quæ ratione officii tenentur, ergo qui hoc jus defraudat, facit injuriam; ex quo sequitur nulli licere defraudare, nam si liceat uni, licebit omnibus, & sic destituentur æraria publica, imò ubique dabitur occasio fraudibus, mendaciis, perjuriis.

270

§. 3. Non tantum subditi, sed etiam exteri tenentur ad gabellas, uti rectè *Medin. Suar. Vasc.* *Az. Fill.* aliique cum *Sanch.* d. 45. n. 9. & *Bonac.* n. 4., quia etiam respectu exterorum videtur obligatio inducta per consuetudinem, quam rationabilem esse ostendit *Lugo* n. 29. & quidem quoad usum pontium, fontium, viarum, gabella etiam exteris ideo imposita justificatur, quia in illorum etiam utilitatem cedit, uti rectè *Sanch. Lugo* aliique apud ipsos; potestque præterea Rex exigere gabellam ab incolis hujus regni ad defendendum alterum regnum, quia hoc ipsum cedit ad utilitatem hujus regni, ut sic ab altero defen-

defendi possit, vel propter illud magis florere,  
ita *Vasq.* & *Lugo* n. 36.

§. 4. *Ang. Henriq. Fill. Th. Hurt. Moya* t. 1. 271  
t. 1. q. 8. n. 6. *Sanch.* d. 10. absolute dicunt, non  
esse obligationem sponte suâ offerendi gabellas,  
nisi petantur, dummodo non abscondantur  
merces, nec decipiantur quæstores; in quam  
sententiam multum inclinatur *Lug.* à n. 40., sal-  
tem ne pœnitens postea cogatur restituere: ad-  
ditque n. 44. cum *Mol.* & *Sanch.* esse probabile,  
quod non teneatur restituere, quamvis occulta-  
verit se & merces, & ideo nihil sit petitum: è  
contrà *Covar.* & alii cum *Dicast.* n. 55. absolute  
dicunt esse obligationem solvendi, quamvis non  
petantur, saltem si moraliter constet de justitia:  
*Cajet.* & alii apud *Dicast.* n. 45. dicunt antiquas  
deberi, licet non petantur, non autem novas,  
quia contra has est quædam præsumptio, quod  
sint injustæ, uti aliqui tenent n. 277. referendi:  
*Salon. Salas, Turr. Less.* n. 61. aliique cum *Bonac.*  
n. 6. melius dicunt in hoc servandam esse con-  
suetudinem locorum, videturque probabilius  
esse solvendas, quamvis non petantur, nam di-  
ximus deberi ex justitia, ergo jus Principis re ipsa  
postulat, quod alioqui læderetur; possuntque de  
hoc plura videri apud *Dicast.* d. 6. In sententia  
autem illa, quod gabellæ non obligent, nisi pe-  
tantur, notat *Lug.* n. 47. non sufficere petiti-  
onem generalem, uti si quæstor diceret, solve, si  
aliquid debes ex mercibus hoc anno transvectis,  
sed requiri petitionem, quâ in particulari petat-  
ur propter talem vel talem causam.

§. 5. Si quis cum quæstore contraxisset de 272  
solven-

solvendis, v. g. 50. aureis pro omnibus vectigalibus totius anni, omnes docent fieri injuriam, si de his aliquid fraudet, hos enim debet, non tam ex lege vectigalium, quàm ex contractu, uti rectè notant *Mol. & Lugo* n. 48.

273 §. 6. Si gabella imponatur rebus usualibus, id est, quæ quotidie ad usum vitæ humanæ emuntur, v. g. pani, carnibus, butyro, oleo, *Cajet.* aliique duodecim AA. apud *Lugo* n. 24. dicunt non obligare in conscientia, quia videtur injusta propter inæqualitatem, cum pauperiores non habentes talia ex suis bonis cogantur plura emere quàm divites, adeoque plùs graventur; & hanc sententiam vocant probabilem *Mol.* d. 669. *Bonac.* n. 5. *Diana.* p. 2. t. 3. R. 28.; sed alii octodecim cum *Lugo* n. 25. & *Dicast.* dub. 10. meritò contradicunt, servatur enim sufficienter æqualitas per hoc, quòd divites propter majores familias plura emant aut plùs graventur tributis propter plura bona immobilia: quòd si propter solas alias merces exigenterentur, hæc carius venderentur à mercatoribus, sicque non evitarentur incommoda. *Nec obstat*, quòd L. 5. & 6. Cod. *De vectigalibus*, prohibeantur exigi vectigalia pro usualibus, nam leges illas dudum abrogavit consuetudo, quam *Suar.* de Leg. c. 16. bene probat non esse irrationabilem: docet tamen cum aliis *Sanch.* dub. 44. n. 7. non facilè injiciendum esse scrupulum defraudantibus vectigalia quoad res usuales, nisi constet de eorum justitia; quod admittit *Lugo* n. 27. quoad pauperes, qui res communes ad proprium usum emunt vel apportant, uti jam dicitur.

§. 7. Paupertas excusat à gabellis, hinc si quis 274  
 solvendo eas non posset alere se & suos, vel quia  
 multa debita contraxit, vel propter alias causas,  
 non tenetur in conscientia solvere, quia potest  
 priùs necessitati propriæ consulere, Principes  
 enim sunt propter subditos, & non subditi pro-  
 pter Principes, uti cum aliis multis dicunt *Sanch.*  
*dub. 15. Lugo n. 69. Sylvius in Resol. p. 2. v. Resti-*  
*tutio cas. 4.*, & addunt, quæstores ideo posse ab  
 eis non petere: hinc *Less. n. 62.* cum aliis docet  
 æquitati consentaneum esse, ut is, qui rem ali-  
 quam defert, emit aut vendit ad solatium ma-  
 gnæ necessitatis suæ, in conscientia non tenea-  
 tur ad vectigal; aliquando tamen teneri putat  
*Lugo n. 68.*, quamvis ad solvenda debita etiam à  
 Judice cogatur vendere bona sua.

§. 8. Putant aliqui gabellam deberi etiam 275  
 pro mercibus inferri prohibitis, v. g. pro vino  
 gallico, si prohibitum esset in hanc urbem in-  
 ferre; sed cum aliis probabiliter negant *Sanch.*  
*dub. 16. Lugo n. 70.*, quia Princeps pro tali re pe-  
 tit solam pœnam, pro quo enim introducendo  
 petitur gabella, videtur ejus introductio appro-  
 bari.

§. 9. Si quis emat ab eo, à quo scit defrauda- 276  
 ri gabellas alioqui ex justitia solvendas, *Silv.* dicit  
 hunc ementem teneri gabellam solvere pro  
 venditore, quia gabella est onus reale, quod cum  
 merce transit ad ementem; & admittunt com-  
 muniter omnes, teneri emptorem, si verè coope-  
 retur, quia esset causa damni, ergo tenebitur re-  
 sarcire in defectu alterius: si autem non coope-  
 retur, sed tantùm permittat, *Mol. Bonac. Less.*  
*Dicast. dub. 9. Sporer n. 151.* dicunt non teneri,  
 nam

nam gabella non est strictè onus reale gravans mercem, sed merx tantùm est veluti hypotheca obligata pro gabella, si fiat excussio & intentetur actio, unde, inquit *Sanch.* dub. 12., talis ement habet se sicuti suscipiens Sacramentum ab indigno Ministro, ad cuius peccatum habet se permissivè; & quamvis *Lugo* n. 65. inter hæc agnoscat differentiam, eò quòd major causa requiratur, ut quis excusetur à cooperatione etiam materiali in materia injustitiæ, quàm in aliis materiis, tamen in re sentit cum illis.

277 §. 10. Si constet de potestate imponendi tributum, & dubitetur, an tributum sit justum, sitque dubium negativum, id est, si pro neutra parte occurrat ratio positiva, dicendum est debet censei justum, & esse obligationem solvendi, ut tenent *Suar. Sorus, Vasq. Adald. Less.* & alii cum *Dicast.* n. 92., licèt multi cum *Sanch.* d. 6. n. 5. *Dian.* p. 4. t. 3. R. 39. *Lug.* n. 89. putent non esse obligationem, saltem si tributum vel gabella nova imponatur; his consentit *Sporer* n. 154. dicent veram esse & tutam ob rationes jam dandas pro casu dubii positivi: Ratio nostra est, quia est possessio pro justo præcepto Superioris exigentis tributum, quod etiam exigi non solet sine maturo consilio. Si dubium sit positivum, id est, si sint rationes probabiles pro eo, quòd sit, & etiam pro eo, quòd non sit justum, *Sanch.* & alii sedecim apud *Mendo* d. 6. q. 1. n. 2. dicunt non esse obligationem solvendi, quia possessio videtur esse pro libertate subditorum, præsertim cum sit præsumptio juris contra tributa ex cap. *Quantum.* De censibus in 6., ubi expressè dicitur, quòd pedagiorum exactiones tam jure Canonico quàm Civili

Civili regulariter meritò sint damnatæ : deinde quia probabilia neminem cogunt involuntarium, inquit *Caramuel*, maximè cum tributum sit res odiosa, contra quam in dubio est judicandum: præterea quia sicuti in plerisque aliis materiis, ita in hac videtur esse licitum sequi unam probabilem relictâ aliâ; & hanc sententiam probabilem esse dicunt *Sa, Bonac. Dian. Boss. Tamb. Sporer* t. 5. c. 5. n. 154., eamque sequitur *Lug.* n. 91., & probabilem etiam agnoscit *Dicast.* n. 108. Oppositam tenent *Suar. Vasq. Turr. Moya* n. 4. & alii, quæ etiam videtur probabilior, & est conformis dictis L. 1. à n. 432., Ratio est, quia in dubio præsumendum est pro justo præcepto Superioris, cujus auctoritas est in possessione præcipiendi; tum etiam quia alioquin quisque sibi facile finget probabilitatem, ut se obligatione eximat, atque sic dabitur occasio plurimis malis: neque verum est, quòd semper licitum sit sequi probabilem, non enim licet, si propter eam aliquis alius, qui meritò prævalere debet, cogeretur ex certa possessione rei suæ, uti hic fieret, quia propter probabilitatem contrariam Superiori privaretur potestate certâ præcipiendi. Quod ex jure Canonico allatum est contra pedagiorum exactiones, rectè dicit *Dicast.* n. 99. intelligi de casu, quo sine legitima potestate imponuntur: quamvis autem subditi sint in certa possessione rerum suarum, tamen etiam Princeps est in certa possessione juris ad imponenda tributa, ubi autem duo possident, quorum unus jure suo privari debet, melior est ejus conditio, qui habet jus majus, & pro quo magis præsumitur, qualis hic est  
 Supe-



Superior, ita *Dicast.* n. 100. potestque etiam videri à n. 146.

- 278 §. 11. Si dubitetur, non tantum an hoc tributum sit justum, sed etiam an Princeps illud possit imponere, si constet de potestate imponendi tributa, quam Princeps de cætero habeat, probabilius est tributum obligare, quia etiam in dubio de potestate hinc & nunc imponendi, Superior est in possessione præcipiendi hoc, quod non scitur esse injustum, quâ de juri non debet per superveniens dubium, an hinc & nunc possit hoc præcipere: Deinde quia Princeps & Consilarii præsumuntur melius de hoc judicare posse, quàm alii privati, ita *Mendo* n. 9.
- 279 §. 12. Ut Princeps possit imponere novum tributum, debet ipsi saltem esse probabilius, quòd sit justum, quia hinc agit velut iudex, ad quem spectat sequi probabiliora, & ne subditi, qui certò possident res suas, eis spoliarentur, ita plurimum cum *Mendo* n. 10., potestque videri *Dicast.* dub. 8. & *Moya* n. 6. Vide etiam *Laurent.* t. 2. tr. 1. d. 4. f. 25.
- 280 §. 13. Clerici non tenentur ad gabellam contractuum, nisi negotientur; nec ad gabellam rerum de patrimonio suo: præterea bona & coloni Religiosorum Mendicantium eximuntur ab omni exactione, uti habet *Sa v. Gabella:* & de hac exemptione Clericorum videri possunt *Sanch.* à dub. 49. usque ad 59. *Lugo* S. 7. 8. & 9. *Dicast.* d. 4. dub. 4. 5. & 6. *Dian.* in *Compendio v. Ecclesiastici* à n. 13. Rectè tamen advertunt *Beja* p. 1. cas. 26. *Sylvius* in *Ref. cas. p. 2. v. Restit. cas. 4.*, quamvis usus exigendi non possit præscribere contra Clericos, attamen quædam tributa ob  
necessi-

necessitates publicas sæpe esse imposita bonis & rebus Clericorum cum auctoritate Ecclesiæ, ideoque debere solvi: in dubio autem, an justa sint, videtur præsumendum pro justitia, uti antè dictum, quamvis alii dicant per certam immunitatem & exemptionem poni Clericos in possessione contraria.

§. 14. Si quis defraudarit justam gabellam, 281  
*Molin.* dicit eum teneri diminuere pretium mercis, quia pretium commune taxatur simul secundum gabellam, ergo si gabellam non solverit, non potest postulare pretium commune; & hanc sententiam putat probabiliorem *Dicast.* dub. 10. E contra *Less.* dicit posse vendere pretio communi, uti alios, hoc enim pretium taxatur communi æstimatione secundum onera, quæ communiter omnes subeunt, licet aliquis hic & nunc non subeat; & hoc videtur probabilius.

§. 15. Ex tanta varietate sententiarum colligit rectè *Dicast.* dub. 7., prudentis Confessarii esse, non semper secundum rigidissimas obligare ad restitutionem, sic enim non tantum Sacramentum pœnitentiæ reddetur odiosum, sed sæpe inducentur pœnitentes in gravissima incommoda etiam Conscientiarum; unde sapienter monent *Molin. Lugo* n. 43. *Sporer.* n. 546. antequam fiat defraudatio, standum esse potius pro eo, quod subditi teneantur solvere; postquam autem facta est, si pœnitens meritò credat exactionem esse injustam, non facile damnandum esse ad restitutionem.

Quid agendum sit, si cesset causa tributi, aut si non impendatur ad fines, ad quos exigebatur, videri possunt *Lug.* à n. 51. & *Dicast.* d. 3. dub. 12.

Tom. III.

M

Q. 57.

- 283 Q. 57. *An faciat injuriam & teneatur restituere, qui defraudat præmiferum.* R. §. 1. Hic defraudans facit injuriam, quia compositio, quæ pro præmiis instituitur, habet se per modum concursus, in quo, qui prævalet, acquirit jus strictum ad rem illam, pro qua concurritur, ergo fit injuria, si quis defraudetur, v. g. si alteri dictetur argumentum, corrigatur vitium, aut quomodocunque agendo contra leges talium concursuum, si ille, qui prævaluerat, impediatur à consecutione præmii.
- 284 §. 2. Hæc injuria videtur esse gravis, vel ratione materialis præmii seu libri, si ejus pretium ascendat ad materiam peccati mortalis, vel saltem ratione formalis præmii sive honoris & testimonii publici de scientia, pendetque sæpe promotio talis adolescentis à commendatione, quòd in studiis retulerit præmia.
- 285 §. 3. Injustum est aliquem adducere ad solvenda præmia, eâ conditione propositâ, quòd ejus nepoti sit dandum præmium excluso alio, qui mereretur, ob rationem jam datam, essetque hoc Meccenati dare scandalum, quia meritò suspicaretur sæpius contingere ejusmodi fraudes; & si ad homines emanaret tale factum, foret contra existimationem communem, quam habent omnes de æquitate Censorum, ac notabiliter imminueret æmulationem juventutis. *Si dicat Meccenatem posse nulli dare præmium, & dare liberaliter omnibus, præterquam illi, cujus loco accipit nepos:* R. Posset nulli dare, sed supposito, quòd indicat concursum, tenetur dare prævalenti: sicuti patronus posset ad beneficium nominare, quem vellet, si tamen indicat concursum,  
non

non potest dare nisi prævalenti. *Nec obstat*, quod fundator beneficii statuere possit in limine fundationis, ut aliquid fiat, quod alioqui est contra tenorem fundationis pro reliquis vicibus; *Nam* hoc non obstante, si nunc indicat concursum pro omnibus, tenetur stare concursu, sic enim inquitur contractus innominatus, *facio, ut des; sisto me, ut conferas, si prævaluero*, ergo similiter in nostro casu: paterque in simili, nam licet possim non dare tibi aureum, si tamen tibi promiserim, & tu promissionem acceptaris, teneor. Vide dicenda l. 4. n. 628. *Conf.* nam aliàs posset talis Meccenas quoad omnes ita agere, & attribuere præmia, quibus vellet, si enim possit uni, cur non omnibus? per hoc autem everteretur ratio concursus & inducerentur incommoda antè infinuata.

§. 4. Ex his sequitur deberi compensationem 286  
dictæ injuriæ, aut saltem per tertium fieri debere transactionem cum defraudato, ut acquiescat, v. g. acceptatâ pecuniâ loco præmii & honoris, qui enim per fraudem impedivit alterum à consecutione boni sibi debiti, tenetur restituere & compensare damna, uti constat ex dictis à n. 69.

§. 5. Occasione dictorum resolvitur hic casus: 287  
Titius adolescens sæpe merito suo obtinuit præmia, sed semel obtinuit unum per fraudem, alioqui debitum Cajo: de hoc se Titius accusat in Confessione; *Queritur* 1. an à Confessario sit obligandus, ut cum suo & familiæ dedecore factum prodatur, ut ita Cajo satisfiat: 2. An sufficiat, si Præfectus vel alius publicè edicat per errorem contigisse, quominus Cajo acceperit præmium: 3. Quid tandem facere debeat Titius. *R.* ad 1.

M 2

Non

Non est ad hoc obligandus, quia hæc infamia positiva esset in æstimatione prudentum major, quàm illa negativa Caji, sive quàm negatio honoris aliàs obtinendi: accedit, quòd Titius per hoc se conjiceret in magnam suspicionem, atque si in aliis etiam præmiis fraudem commisisset, sicque privaret se positivo honore justè obtento; quæ, saltem simul sumpta, longè prævalent negativæ inhonorationi, quam patitur Cajus. *Ad 2.* Non suaderem in præsentia Titii, nequidem de ipsius consensu, hoc dici, quia Titius etiam nolens facilè posset in ruborem agi, & sic venire in suspicionem, ac postea dicere à Confessario impositam sibi esse obligationem hoc permit- tendi, quod aptum esset reddere Confessionem apud omnes odiosam: Si tamen abesset nunc Titius, nec prudens suspicio posset in ipsum cade- re, posset id fieri, & per hoc compensaretur ex parte honor. *Ad 3.* Tenetur in primis pretium libri solvere Cajo, mittendo per ignotam manum: deinde si adhuc simul studeant, & contingeret eosdem iterum certare de præmio, ac prævaleret Titius, induci posset, ut Cajo relinqueret præmium: posset etiam fortè Cajus privatim induci, saltem pretio, ut omnem obligationem remitteret: si tamen sit aliquod periculum, ne suspicetur de Titio, prærequireretur consensus Titii in hoc, & Cajus indirectè erit à suspicionem de Titio abducendus. Denique posset Titius per- mittere Cajum publicè laudari à scientia, cujus præmio fraudatus est, addendo, quamvis casus fuerint quandoq; adversi, non minorem tamen deberi laudem: quod ipsum inscribi posset præmio gratiæ, vel alteri, si posthac reportet.

L. 58.

*Q. 58. Ad quid teneatur fur, qui in extrema necessitate consumit rem furto sublatam. R. Si res man- 288*  
 fit domini, tenetur postea, si possit, compensare sola damna causata domino usque ad tempus necessitatis, quia hæc postea dedit jus consumendi, sicuti dedisset jus auferendi, secundum dicta p. 1. n. 950., unde damnum rei non imputatur injuriæ sed necessitati: è contrà si rem, antequam consumeret, per commixtionem fecerat suam, post necessitatem tenetur restituere etiam rem, tum enim non ex alieno sed ex proprio subvenit necessitati suæ, ideoque obligatio restituendi contracta per injuriam, quæ antecessit necessitatem, perdurat & urget furem, ita *Lugo d. 21. n. 3.* An autem dives restituere debeat damna secuta ex eo, quòd extremè indigenti non subvenit, dictum est l. 2. n. 206.

*Q. 59. An turpe lucrum, sive quod per actionem peccaminosam acquiritur, sit restituendum. R. §. 1. Si actio jam sit posita, & pro ea acceptum pretium, non est, saltem de jure naturæ, obligatio illud restituendi; unde si mulier, etiam uxorata, pro usu sui corporis, aut Titius, ut Cajum occideret, pretium acceperit, potest retinere, ita *S. Thom. 2: 2. q. 62. art. 5. ad 2. Azor, Rebel: Molin. Vasq. Lugo d. 18. à n. 45. Less. l. 2. c. 14. d. 8. Dicast. de Restit. d. 6. d. 1. Burgh. cent. 3. cas. 33.*, ita ut omnes ferè TT. & Juristas in hoc convenire dicat *Tann.*, quamvis contradicant *Medin.* & alii apud *Dian. p. 2. t. 16. R. 38.* Ratio est, quia tale pretium est acceptatum sine cujusquam injuria, non enim facta est danti, quia hic sponte dedit pro actione sibi utili vel delectabili; neque ulli alteri, uti suppono, nam si actio fuisset injuriosa*

& damnosa alteri, esset restituendum, non ratione turpis lucri, sed quia actio per quam lucrabatur, inferebat injuriam damnosam. *Dixi*, de jure naturæ, quia aliqui putant jus positivum statuisse, ut ille restituat, qui per actionem turpem lucratus est, sed *Sa v. promissio n. 2. Sanch. de Matr. l. 6. d. 20. n. 7. Less. n. 18. Lugo n. 57. Castrop. de Just. d. 2. p. 9. à n. 5.* aliique plurimi cum *Peisch. p. 154* probabiliter dicunt leges illas, cum sint pœnales, non obligare ante sententiam Judicis, nisi fortè redderent antecederent incapaces pretii acquirendi, uti de Judicibus docent aliqui & examinabitur l. 4. n. 1502., ubi etiam dicitur n. 1498., an accepta pro justa vel injusta sententia teneantur restituere; Item an peccent acceptando munera, ibid. dicitur à n. 1499.

296 §. 2. Si sola actio mala, propter quam erat contractum de pretio, jam posita sit, adhuc est obligatio dandi pretium, nisi leges positivæ aliter statuant; unde qui actionem posuit, justè petit pretium, ita *Sanch. Less. Tamb. Lugo n. 59. Diast. n. 10.* & alii contra *Navar. &* alios, qui dicunt ideo non licere petere, quia hoc videtur esse nova approbatio peccati patrati: Sed ratio nostra est, quia implevit ex sua parte conditionem, sub qua contractum erat de pretio; nec ideo approbat peccatum, sed illo supposito, quod jam detestatur, urget, ut impleatur altera pars contractus conditionati, uti explicabitur à n. 692. *Nec obstat*, quòd præmiari non possit talis actio, ergo nec poterit pro ea accipi pretium, nam n. seq. præmium supponit meritum, quod requirit actionem bonam & honestam; pretium est propter

pter debitum, quod potest esse ex contractu quamvis de se non honesto. Si dicas, sic foveri scelera, si enim meretrix sciret se nihil accepturam, non prostitueret se. R. Id esse per accidens, & habere se tantum remotè ac indirectè.

§. 3. Si pretium sit datum pro actione mala necdum posita, restitui debet, quia actio non debet poni, ergo nec retineri potest pretium pro ea ponenda: si tamen pretium liberaliter donatum esset ad alliciendum animum, posset retineri, sed adhuc omittenda esset actio, utpote de se semper mala, ita *Lug. n. 49.*

Q. 60. An restitui debeat pecunia à Dæmone accepta. R. Si sciatur, quòd Dæmon furatus sit alicui, ut tibi daret, teneris restituere secundum antè dicta: si autem hoc nesciatur, spectato iure naturæ poteris retinere, quia dæmon potuit accipere ex fundo maris, aut aliunde, ubi erat derelicta, ita *Dian. p. 10. t. 15. R. 48.* De iure positivo post sententiam Judicis debet dari pauperibus vel applicari fisco, quidquid per artem magicam aut prohibitam acquiritur, uti habent leges & AA communiter cum *Lugo d. 6. n. 112.*

Q. 61. An restitui debeat, quod est acceptum pro re vel actione aliunde debita. R. §. 1. Si ex iustitia erat debita illi, qui dat, restitui debet, uti habet communis cum *Less. L. 2. c. 14. n. 69. Lugo d. 18. n. 63. Dicast. d. 6. dub. 3. Tamb. l. 7. c. 5. §. 3. n. 13. & 21. Haun. t. 2. n. 352. Petsch: p. 143. contra Nav. Sotum & alios.* Ratio est, quia dans pretium pro re, ad quam habet ius, æquivalenter emeret rem suam, ut redimeret iniustam vexam, ergo pretium iniuste acceptaretur, ergo restituendum est. Quòd si pro obtinenda actione tali daretur a-



liquid ex liberalitate, aut tantum ad animum alliciendum, ut actio poneretur, docent *Nav. Rebel. Tolet.* aliique communiter cum *Dian. p. 3. t. 6. R. 4.* posse retineri, per se loquendo, nam de *Judice* aliter forte loquendum est, de quo l. 4. n. 1499.

294 §. 2. Magis controversum est, quid dicendum sit, si res ex Justitia sit debita, non quidem tibi, attamen alteri, v. g. Titio debita est vita sua, adeoque debetur illi ommissio occisionis, nunc quaeritur, si scias Cajum intendere mortem Titii, & Cajo des pretium, ne eum occidat, an Cajo hoc pretium possit retinere: affirmant *Sotus, Bannez* & alii, quia quamvis Titius habeat jus ad illam ommissionem, tu tamen non habes jus ad illam, & hoc jus potest tibi esse utile, ergo poteris hoc emere. Hanc sententiam vocat probabilem *Petsch. p. 144., Tamb. n. 14.* non improbabilem, quamvis addat timere se, ne in praxi pretium detur nomine Titii ad redimendam injustam illius vexam, in quo casu non posset retineri, quia ex justitia est obligatio omittendi illam vexam: *Beja p. 1. cas. 31.* docet, si solveris Cajo partem pretii & partem non solveris, Cajo non teneri restituere, quod accepit, quia quamvis LL. videantur obstare, quando aliquid acceptum est turpiter, si turpitudinis sit tantum ex parte recipientis, ideoque eadem Leges dent tibi jus repetendi, tamen non prohibent translationem domini, ergo si tu non repetas, censeris consentire, ut Cajo retineat, quod accepit in pretium occisionis in gratiam tui ommissa. Quoad reliquam partem, putat Cajo non posse quidem de jure exigere, attamen posse ostendere

dere suum desiderium habendi, & vicissim offerre voluntatem tibi semper in omnibus obsequendi. Econtrà *Less.* n. 67. alique communiter cum *Lugo* d. 37. n. 126. probabiliùs dicunt non posse ideo postulari vel retineri aliquid, (additque *Mol.* t. 1. d. 83. n. 3. oppositam sententiam esse improbabilem, sed immeritò inquit *Petsch.*) Ratio nostra est, quia sic aperiretur ostium usuris, furtis & rapinis, sic enim posset quis dicere se accipere pretium, non à Titio, cui dat mutuum, nec pro mutuo, sed à Cajo, cui se obligaret ad gratis mutuandum Titio: item posset latro dicere se occisurum Titium, nisi Caius daret pretium pro illa omissione &c. Et ratio à priori est, quia hoc non potest à Cajo vendi, cujus alius est dominus, sed alius est dominus talis actionis vel omissionis, illi enim alteri debetur, ergo non potest vendi à Cajo.

§. 3. Si actio ex alia tantùm virtute sit debita, 295 non est obligatio restituendi pretium pro ea acceptum, ita *Sotus*, *Bann. Dian. Lugo* n. 67. *Haun.* n. 353. *Tamb.* n. 21. *Petsch.* p. 148. contra *Medin. Covarr. Less. Molin.* & alios apud *Dicast.* n. 58., quia quando hoc, pro quo datur pretium, non erat debitum ex justitia, v. g. si accipiam pretium, ut deponam odium erga alterum, huic pretio respondet jus, quod acquiritur, & non habebatur, antequam dares pretium. *Nec obstat*, quòd antecederet tenerer deponere odium, adeoque videatur dari ex metu ad redimendam vexam, nam non tenebar ex justitia, nec metus ille tollebat voluntarium, neque etiam metus aut vexa erat contra justitiam, ergo accipiendo pretium pro omissione non peccavi

M s

contra

contra iustitiam, ergo inde non oritur obligatio restituendi. Hic dicta intellige, nisi quis antecederet fit redditus inhabilis ad acquirendum dominium talis pretii; item intellige, spectato jure naturæ, nam jus positivum obligat ad restitutionem, v. g. simoniacum in materia beneficiorum, in ingressu Religionis & Ordine, secundum probabilem sententiam multorum; possuntque videri *Lugo* f. 10. & 11. *Dicaft.* dub. 3. & 4. *Hann.* à n. 358.

### A R T I C U L U S III.

*An, & quid debeat restitui pro injuria illata corpori, v. g. per mutilationem & occisionem &c.*

296<sup>o</sup> Resp. Injustus occisor, mutilator, in conscientia tenetur tantum restituere pro damnis bonorum fortunæ, quæ ex tali occisione, vulnere, &c. directè ab eo causata sunt, juxta prudentis arbitrium præcisè autem pro vita, membro, vel cicatrice, nihil tenetur restituere secundum rigorem: cum sint bona altioris ordinis, quæ penam æstimari non possunt. Ita contra *Sotum*, *Sylv.* &c. probat *Less.* l. 2. c. 9. d. 23. *Vide Lay.* l. 3. t. 3. p. 3. c. 6. *Unde resolves.*

193. I. Qui occidit ebrius alium, si ebrietas non fuit culpabilis & voluntaria, vel licet fuerit talis, si tamen homicidium vel non prævidit, vel diligentiam debitam adhibuit ad cavendum, non tenetur ad restitutionem, tenetur autem, si prævidit, & non cavet. *Ben. d.* 2. q. ult. f. 2. p. 2. ex communi. II.

II. Qui occidit Cajum, putans esse Titium, 200. 201.  
tenetur ad restitutionem; quia actio ista est Cajo  
injuriola. *Bon. l. c.*

III. Si læsus ante mortem omnia remisit, ad 310. §. 7.  
nihil tenetur occisor: quia filiis non fit injuria in  
bonis, nisi quatenus læduntur in patre contra  
ejus voluntatem (volenti enim non fit injuria)  
ergo sicut per eum jus acquirunt, sic etiam a-  
mittunt; etsi non rectè faciat parens, si filii val-  
de egeant. *Less. n. 158. 159.*

IV. Etsi præcisè pro vita, membro, occisione, 298.  
non fit obligatio restituendi; per sententiam ta-  
men judicis cogitur injurians satisfacere pro in-  
juria.

V. Consilium est, ut Confessarius pro his in-  
jungat eleëmofynas, Missas, pro salute occisi.

VI. Si occisus, vel mutilatus fuerit servus, vel  
animal, tunc etiam pro vita & membris facien-  
da est restitutio: quia horum vita pretio æsti-  
matur; ac proinde tantùm debet restitui, quanti  
potuisset vendi; & pro mutilatione vel cicatri-  
ce, quantò plaris venderetur.

VII. Pro expensis funeris nihil restituitur,  
quia illæ aliquando faciendæ tamen fuissent, nisi  
fortè occasione illatæ necis, v. g. extra patriam,  
majores fieri oportuerit.

VIII. Restitui debent impensæ factæ in cura- 309  
tionem & medicamenta vulnerati, vel occisi,  
*Fil. t. 32. c. 8. n. 198.*

IX. Item lucra, quæ ex mutilatione vel vulne- 311.  
ratione cessarunt; non quidem tam in solidum,  
ac si de facto essent acquisita, sed pro majore aut  
minore spe, quam læsus habuit illa acquirendi,  
*v. Trul. l. 7. c. 8. d. 3. n. 6.*

X. Si

X. Si homicida à Magistratu plectatur, verius  
est adhuc teneri ad damna sarcienda, cum mor-  
te suâ tantum satisfaciât justitiæ publicæ, non  
hæredibus occisi. Qui tamen, cum plerumque  
aliud non exigant, videntur esse contenti, ac  
proinde hæredes homicidæ ad nihil tunc tene-  
ri. *Fill. n. 214.*

309.310

XI. Debet autem restitutio fieri tantum pa-  
rentibus interfecti, filiis & uxori, quia hi soli di-  
rectè læduntur; cum moraliter censeantur una  
persona cum occiso: Nisi tamen occideris ani-  
mo etiam nocendi aliis, nam tunc etiam his re-  
stituere teneri dicit *Lugo d. 11. num. 8. ex Less. v.*  
*Trull. d. 4. n. 2.*

310.

XII. Etsi probabile sit, deberi etiam restitu-  
tionem creditoribus occisi, si quod damnum  
illis ex ea cæde obvenit; contrarium tamen et-  
iam probabile (saltem secundum limitationem  
castis præcedentis,) est; cum occisio illa non sit  
directè causativa illius damni. *v. Lay. n. 4.*

XIII. Non tenetur occisor aliquid eis resti-  
tuere, quos occisus alebat ex liberalitate, quia  
damnum illorum per accidens sequitur, *v. Less.*  
*n. 154. Trull. l. c.*

156. p.

XIV. Nec tenetur ad damna, quæ v. g. pro-  
venient ex morte alicujus innocentis, qui per  
errorem putaretur homicidium fecisse, & sic ca-  
ptus plesteretur, quia hujus mors non directè  
causaretur ab ipso, sed per accidens, & ex er-  
rore vel malitia accusatorum, *v. Bon. d. 2. q. ult.*  
*f. 2. p. 2.*

## A D D E N D A.

397 Q. 62. An impotens restituere in uno genere bo-  
norum

notum teneatur in alio. *Beja*. *Busenb.* negat cum communi, sed res indiget majore explicatione.

§. 1. Quatuor sunt ordines bonorum, uti rectè *Beja* p. 2. cal. 1. : In primo & supremo ordine sunt bona animæ sive spiritualia, uti gratia, virtus, innocentia. In secundo est vita, quæ est fundamentum cæterorum bonorum, & substantiale bonum naturæ. In tertio est fama, quæ etiã post mortem perdurat ; ad quam reducitur honor. In quarto & infimo sunt bona externa fortunarum : Certum est autem, si per injuriam in uno bono causaverim damna in altero, v. g. si detrahendo sui causa, cur Titius privatus sit fortunis ; si amputando Titio manum sui causa, cur non potuerit lucrari, me teneri hæc damna vel lucra compensare, uti rectè *Lugo* d. 11. à n. 1.

§. 2. Etiam certum est, quòd per justitiam vindicativam possit à Judice vel Superiore imponi, ut quis pro injuria circa unum bonum teneatur præstare aliquid in genere alterius boni, faciendò ut læsus acquirat jus ad hoc alterum bonum, Superior enim justè punit delicta per pœnam, quam putat convenientem ; sic pro mutilatione, etiam præscindendo à damno, potest imponi pœna dandi pecunias, quas dando satisfiet, non juri, quod ratione damni illati habebat mutilatus, sed juri novo per sententiam acquisito, & tales LL. pœnales passim inveniuntur in scriptura & utroque jure : itaque sensus quaestionis est, an de iure naturæ & spectatâ obligatione justitiæ commutativæ teneatur quis pro injuria in uno bono satisfacere per bonum alterius generis, si bonum læsum nequeat in suo genere reparari ; estque duplex dubitatio, inprimis

mis an ille, qui abstulit bonum superioris ordinis, v. g. famam, si non possit restituere famam, an teneatur damnum famæ compensare per bonum inferioris ordinis, v. g. per pecuniam: deinde dubitatur, an ille, qui abstulit bonum inferioris ordinis, v. g. pecuniam, si non habeat pecuniam, teneatur, si potest, conciliare famam & honorem, ut sic compenset damnum ablatae pecuniae.

299 §. 3. *Gabr. Adr. Maj. Ang. Cajet. Sor. Az. Beja, Mol. Alloz. Tann. 2. 2. q. 6. n. 150.* aliique dicunt, si non possit restitui bonum superioris ordinis, compensandum esse, dando bonum inferioris ordinis, v. g. dandam pecuniam, si restitui non possit fama: quæ sententia est probabilis, uti patet ex his, quæ pro ea affert *Lugo d. 11. f. 1.*, & §. seq. referemus: Nihilominus probabilius videtur nunquam esse obligationem restituendi in bono diversi generis, ita *Magister Sent. in 4. dist. 15. in fine*, ubi clarè dicit, v. g. pro oculo vel vita restitui non posse, sed satis est poenitere cum desiderio satisfaciendi, si posset: sequuntur *Angles de Restit. bonorum corporis dub. 4. Vasq. de Restit. c. 2. n. 17. Sanch. in Conf. l. 1. c. 4. d. 1. n. 7. Less. l. 2. c. 9. n. 141. Nav. in man. c. 15. n. 22. Navarra de Restit. l. 4. c. 1. n. 81. Merat. de Just. d. 26. f. 1. Bonac. de Rest. d. 2. q. ult. f. 2. p. ult. Fill. t. 32. n. 200. & 239. Laym. l. 3. t. 3. p. 3. c. 6. n. 2. Lugo n. 9. Regin. l. 10. n. 318. Amic. de Just. d. 36. n. 171. Diana p. 5. t. 4. R. 54. Petr. Marchant. ad 5. præcept. Decal. q. 5. concl. 2. Bonasp. de Just. d. 19. n. 114. Dicast. de Restit. d. 7. n. 56. & d. 12. dub. 12. & 13. Palav. de Just. n. 74. Esp. q. 37. Hayn. t. 2. n. 662. Sreph. t. 4. d. 5. n. 20.*

*Tamb.*

Tamb. l. 6. c. 4. §. 3. n. 22. Escob. in problem. l. 32. n. 236. Gord. in Th. Mor. T. 1. l. 5. q. 4. c. 4. n. 16. Herinx de Rest. d. 6. q. 6. Platel. p. 3. n. 760. Sporer t. 5. c. 3. n. 221. Jlls. t. 4. d. 3. n. 236. Petsch. p. 277 vocat utramque probabilem, putatque primam esse conformiorem *S. Thomæ*, sed secundam esse magis fundatam in iure. Pro hac nostra sententia apud relatos Auctores, quos omnes inspexi, etiam referuntur *Glossa, Silv. Pazworm. Gom. Albericus, Covarr. Ledesm. Lop. Hostiens. Bann. Victor. Arruv. Turr. Becan.*, & recentiores innumeri, inquit *Sanch. supra*, & ideo *Herinx* meritò vocat quasi communem Doctorum, etiam Jurisperitorum, *Tann. supra* fatetur probabilem. Probatum autem 1. nam *Exodi 21. v. 19.* dicitur percussorem fore innocentem, id est, liberum, si percussus non moriatur, dummodo operas solvat ac expensas in Medicos restituat: sic autem absolute non pronunciaretur liber, si de iure & in conscientia, ad quam dirigendam potissimum est Scriptura, teneretur etiam dare aliquid pro vulnere vel mutilatione: Idem clarissime habetur *L. ult. ff. De his, qui effuderint*, aliisque locis apud *Lugo n. 5.* Et ratio sæpissime redditur, quia liberi hominis vita non potest estimari &c. 2. Hic est communis sensus omnium, qui nisi ad tales solutiones veluti pœnas condemnentur, non putant se in conscientia obligari, ideoque etiam à Confessariis non obligantur: similiter hæredes occidentis non solvunt, nec hæredes occisi petunt aliquid præcisè pro vita occisi, quod tamen possent, & procul dubio facerent, si esset obligatio restituendi in diverso genere boni, ergo communis sensus est hanc restitutionem

tionem



tionem non deberi. 3. Determinari non potest, quantum arithmetice restitui deberet, v. g. pro oculo, & cum oculus sit omni pecunia æstimator, læsus posset semper plus exigere, nec satisfaceret, qui excussit, nisi dando, quidquid haberet, quod videtur intolerabile. *Nec juvat recurrere ad arbitrium prudentum, nam læsus potest nolle eò recurrere, & petere hoc totum, quod in conscientia debetur, si enim de jure naturæ est ista obligatio, debet ex natura rei, præscindendo ab arbitrio prudentum, aliquid determinatè esse debitum, uti rectè Vasq. n. 20.* unde, 4. Ratio à priori est, quia non potest per eiusmodi restitutionem obtineri ulla perfectio & arithmetica æqualitas cum ulla parte debiti, ergo justitia commutativa non obligat ad eiusmodi restitutionem. *Conseq. patet, nam motivum hujus justitiæ est æqualitas arithmetica & perfecta cum aliqua saltem parte debiti. Anteced. probatur, bonum, quod redditur, nec in se nec in æquivalente quoad ullam partem est illud bonum, quod ablatum est, ut enim esset in æquivalente quoad aliquam partem, deberet, per se loquendo, per rem restitutam iterum comparari posse res ablata aut saltem aliqua ejus pars, sed nec oculus nec ulla pars oculi potest comparari per ulla pecunias aut per ulla res etiam spirituales, quamvis de se digniores, neque cum illis in humano commercio est ullâ ratione apta substitui vel commutari, hoc ipso enim quòd sint diversi generis, non habent communem mensuram, uti omnes docent, ergo.* 5. Ratio alia etiam à priori est, quia finis saltem mediatè à Justitia intentus per restitutionem

tutio-

tutionem, secundum Adversarios, est tollere radicem dissolutæ amicitiaë & causam doloris orti ex injuria, sed reddendo pecunias pro oculo, quamvis fortè facias redire amicitiam & cessare dolorem, tamen non tollis radicem dissolutæ amicitiaë, nec causam doloris orti ex injuria, ergo. *Prob. min.*, hæc radix & causa est præcisè carentia oculi, sed hanc non tollis, nam carentia illa perdurat ex omni parte, quamvis reddas mille oculos aureos, ergo. *Si dicas*, tales divitias præligi uni oculo, sicque reddi amicitiam & tolli dolorem, adeoque satisfieri; *Contrà est*, nec redditur amicitia, nec tollitur dolor, nec satisfit per hoc, quod hîc intenderet justitia & læsus habere deberet, cùm non recipiat oculum nec in se nec in æquivalente quoad ullam partem oculi; ex hoc autem, quòd præligat, nihil sequitur, hæc enim est voluntas hominis, non intentio justitiæ.

§. 4. *Obj. 1.* Auctoritatem *S. Thomæ 2. 2. q. 300* 62. a. 2. ad 1. & *Scoti* in 4. dist. 15. q. 3. *R. S. Thomam* variè explicat *Bann.*, cujus explicationes, quamvis rejiciat *Petsch.* p. 274., tamen innuit posse dici, quòd *S. Thom.* non sit assertivè locutus, sed tantùm significarit, si damnum vitæ vel membri compensari deberet, fore compensandum per aliquid aliud. *Scotus* videtur loqui de obligatione restituendi post sententiam, ubique enim comparat leges pœnales veteris testamenti cum legibus novi. Quòd si mens illorum esset explorata, non ita multi Thomistæ & Scotistæ nobiscum tenerent; in dubio autem loquimur cum majore parte.

*Obj. 2.* Absurdum est pro bove alieno occiso 301 deberi restitutionem, & non deberi pro occiso.

Tom. III.

N

homi-

homine. *ꝛ.* Est absurdum non intelligenti naturas rerum, inquit *Espar.*, nam bos est bonum fortunæ; item æstimabilis & novo pretio comparabilis, non item vita hominis.

*Instab.* Si fit obligatio restituendi pro minore iniuria, etiam est pro maiori, sed occidere hominem est maior iniuria, ergo. *ꝛ.* Si jus per iniuriam maiorem læsum sit reparabile, c., si non sit reparabile, N. mai., & patet, alioquin si fraude aliquem induxisssem in damnationem æternam, teneret pecunias restituere hæredibus ad compensandam iniuriam, quod est contra omnium sensum.

302 *Obj. 3.* Si fama restitui non possit, debet aliquando compensari per honorem, & tamen honor est aliud genus boni, quàm fama, ergo. *ꝛ.* Honor est bonum affine & ita connexum cum fama, ut ad humanos usus pro eodem ferè reputetur, est enim testificatio bonæ famæ de proximo, & ex honore communiter sequitur apud alios bona fama, ergo per honorem rectè censetur fama restitui; in aliis bonis nihil est simile.

303 *Obj. 4.* Libertas & nobilitas sunt bona superiora, & tamen emuntur pecuniis, quæ sunt bonum inferius, ergo bonum superius potest æquivalere & commutari cum inferiore. *ꝛ.* Pecuniis emuntur jura ad multa commoda spectantia ad fortunas, quæ ex libertate & nobilitate proveniunt, v.g. ut homo liber possit lucrari sibi, ut nobilis gaudeat immunitatibus &c., sic etiã datur pretium pro mancipio, nē pro homine ipso, sed pro iure ad commoda ex ipso, quæ ad fortunas spectant; & idem est dicendum de similibus bonis altioris ordinis, quæ dicuntur emi pecuniis. Quod si emens intenderet dare pretiũ directè pro nobilitate-

litate sola, nō ideo hanc emeret, sed cederet iure ad pretium, & nobilitas ei donaretur, sicuti qui beneficium ecclesiasticum vult emere, potest cedere jure ad pretium, ut obtineat modo, quo potest, re ipsa tamen non emit, cum res spiritualis secundum omnes sit pretio temporali inemibilis.

*Instab.* Pecuniæ sunt mensura & pretia rerum omnium, ergo omnia damna compensari possunt per pecunias. R. Sunt mensura & pretia rerum omnium spectantium ad bona fortunæ, c., absolute omnium, N.

*Obj. 5.* Mutilans causavit injustè dolorem mutilato, ergo ex justitia tenetur hunc dolorem tollere. R. Ergo tenetur tollere per pecunias vel per bonum alterius generis, N., per petitionem veniæ vel per aliam satisfactionem, quæ sit in eodem genere boni, in quo erat gaudium per dolorem ablatum, transeat; gaudium ablatum erat bonum temporale animæ, quale si iterum procuret per petitionem veniæ vel per aliud solatium temporale, jam reddit aliquid ejusdem generis, negamus autem teneri ex justitia reddere aliquid diverfi generis, licet admittamus cum *Less. n. 145. & Dicast. d. 7. n. 59.* ex charitate quadam etiam teneri, si commodè potest, aliis modis hunc dolorem tollere.

*Instab. 1.* Qui læsit honorem, tenetur ex justitia satisfacere & tollere dolorem, quem iniuste causavit inhonorato, ergo idem hinc est dicendum. R. Transeat totum, secundum jam dicta; est tamen adhuc disparitas, nam prior tenetur tollere illum dolorem, quia potest & tenetur tollere eius radicem, nempe inhonationem, quæ causa est illius doloris, imò tenetur iterum hono-

rare, quo honore reddito ex radice cessabit dolor: oppositum est in mutilante, qui non potest reddere membrum ablatum, ex cuius carentia nascitur dolor.

*Instab. 2.* Si quis injustè in honoravit Clericum, & hunc honorem non possit aliter reparare, quàm ei conferendo Canonicatum, ad hoc tenetur ex justitia, uti fatetur *Haun. n. 665.*, ergo similiter mutilans, qui injustè causavit dolorem mutilato, & non potest hunc dolorem aliter tollere, quàm dando pecunias, tenetur has dare. *R. N. conf.*, ideo debet dare Canonicatum, ut faciat iterum honorari, & sic reddat honorem, quem abstulit, sic autem tollit radicem doloris: mutilans dans pecuniam non redderet membrum ablatum, nec tolleret radicem doloris, ergo ex justitia non tenetur dare pecunias.

*Instab. 3.* Communis sententia est cum *Lugo d. 13. n. 45.* aliquem teneri pro compensandis damnis fortunarum subire aliquam infamiam, sic enim fur, qui non potest restituere per se, tenetur per alium, quamvis deberet huic manifestare suum furtum, ergo restitutio debet aliquando fieri in bonis alterius generis. *R. Dato ant. N. conf.*, nam ibi non redditur fama pro pecuniis, sed tantùm cum parva jactura famæ restituitur pecunia pro pecunia aut pro alio bono fortunæ, cujus communis mensura est pecunia, quia per hanc comparari potest omne bonum fortunæ. Itaque dato, quòd sit obligatio aliquando restituendi bonum unius generis pro bono eiusdem generis, cum aliquo detrimento boni alterius generis, negamus obligationem restituendi bonum unius generis pro bono alterius generis, & disparitas

ritas est, quia in priore casu obtineri potest æqualitas inter ablatum & redditum, non autem in posteriore. *Dixi*, dato *Ant.*, nam *Beja* suprà docet non esse obligationem restituendi bonum inferioris ordinis cum periculo amittendi bonum superioris ordinis, quia justitia non videtur obligare ad excessum, *sed* id tantum tenet, si in bono superioris ordinis pateretur damnum notabile; fateturque *Beja* cum *Nav.*, quando dicitur non esse restituenda bona fortuna cum jactura famæ, intelligi de fama, quæ consequitur bonitatem moralem, si enim sequatur ad talenta naturalia, v. g. ingenii, scientiæ, putant cum hujus jactura restituendum, quia hæc fama non est inæstimabilis, uti prior.

*Instab. 4.* Quamvis non possit obtineri tota æqualitas, tamen justitia vult poni tantum, quantum poni potest. *R.* Si per hoc, quod ponetur, attingatur æqualitas saltem secundum partem, *c.*, si non attingatur nequidem secundum partem, *N.*, nullum autem bonum diversi generis est pars aliquota boni alterius generis aut æqualitatis faciendæ, uti dictum est, ergo justitia non obligat ad ponendum quicquam ex bono alterius generis.

*Q. 63.* Quid præterea sit notandum circa restitutionem pro injuria corpori illata. *R.* Seqq. §. 1. Qui occidit iniustum invasorem vel provocantem vel consentientem in pugnam, non tenetur compensare damna secuta, quia tales renuntiant juri suo, & alter ius habet faciendi, quod in se est, ut se illæsum servet, *Dian. Bonæspei* & alii cum *Steph. t. 4. d. 5. n. 30.* Quod si quis contra iniustum invasorem graviter excedat moderamen inculpatæ

tutelæ, faciendo nempe plûs, quàm necesse est ad proprium periculum vitandum, *Silv. Ang. Ser. Led. Arrag. Salon. Cord. Rosel. Mol.* apud *Lugo d. 9. n. 51.* dicunt nihil teneri compensare de damno, quod *Tamb. l. 6. c. 4. §. 3. n. 15.* vocat probabile, tum quia invadens censetur consentire damnis, scit enim invasum facturum, quod poterit; tum etiam quia *Mol.* putat, si invasus in foro externo opponeret injuriam sibi prius factam per invasionem, liberandum à restitutione, potest autem exspectare, donec conveniatur, ergo. *Less. l. 2. c. 9. n. 135. & Bonac. de Rest. d. 2. q. ult. f. 2. p. 1. n. 3.* dicunt probabile esse, quòd teneatur tantum ad partem damni, iudicio prudentum, quia minus peccavit, quàm si non fuisset invasus: *Nav. Lop. Vasq. Turr. Sanch. in Conf. L. 1. c. 4. d. 9. Lugo n. 50. Ills. t. 4. d. 2. n. 83.* alique communiter & probabilius dicunt teneri ad totum damnum, quia causavit totum per gravem iniuriam; & licet invadens per gravio rem iniuriam voluerit inferre simile, non ideo licebat inferre invadenti, sicuti licet Caius velit tibi furari 100., non ideo tibi licet tantundem furari Caio, si aliter possis eius iniuriam amoliri. Idem dicit *Lugo n. 55.* de illo, qui sine gravi incommodo fugere potuit invasorem, nam licet *Julius Clarus, Mol. Less. n. 136. Ills. n. 86.* putent talem peccare tantum contra charitatem, quod *Petsch. p. 286.* putat probabile, eò quòd alter non videatur habere jus, quo obliget ad fugam, tamen *Silv. Vasqu. Roderiq. Bonac. & alii cum Lugo d. 10. n. 170. & d. 11. n. 55.* meritò tenent oppositum, quia quisque habet jus, ut non occidatur auctoritate privatâ, nisi in necessaria sui defensione, hic autem

autem non fuit necessaria, quia aderat facile medium hoc declinandi per fugam, quæ non attulisset grave incommodum, ergo fuga erat in his circumstantiis debita juri alterius: *Tamb.* permittit hac sententiâ *Lugonis* adhuc putat probabile esse, quòd talis excusetur à restitutione, quia quando alterum invadit, videtur cedere hoc jure suo. Quòd si provocans occideret provocatum, qui metu infamiæ debuit comparere, provocans teneretur compensare damna inde secuta, quia provocatus accessisset involuntariè, *Salon.* aliisque cum *Sanch.* dub. 10.

§. 2. Si Caius det causam rixæ per sola verba 306 contumeliosa, & postea occidatur à Titio, Titius tenetur restituere, quia verbalis contumelia non potuit dare jus occidendi: si tamen Titius verbis contumeliosis affectus à Caio, vellet Caium occidere, Caius licet se defenderet, & quamvis in defensione suâ occideret Titium, nil teneretur restituere, ob eandem rationem, quia Titius ob verba contumeliosa non habebat jus occidendi, *Tamb.* n. 17.

§. 3. Si Caio & Titio pugnantibus accesserunt 307 alii suâ sponte, & horum unus alterum occidit, Caius aut Titius non tenetur ad aliquid, si autem Caius excitarit aliquem ad pugnam pro se defendendo, & hic postea occidatur, secundum *Suarez* & alios Caius tenetur restituere, quia per suasionem fuit causa occisionis & damni; secundum *Vasq.* & alios cum *Lugo* d. 12. n. 58. non tenetur, quia licet hic suadens peccet contra charitatem, tamen cum nec fraude nec dolo suadeat, non peccat contra iustitiam, scienti enim & volenti non fit injuria, secundum dicta à n. 4., ita *Tamb.* n. 19.



308 §. 4. Qui occidit alterum paulò pòst naturali vel iustà morte occidendum, non tenetur restituere, quia non censetur intulisse grave damnum in bonis fortunæ, uti habent *Nav. & Vasq.* cum *Bonac.* n. 13. In dubio tamen, an ita eventurum fuisset, possessio est pro hæredibus occisi, cuius vita etiam in possessione erat. Quòd si occideret alterum paulò pòst iniuste occidendum, v. g. à latrone, teneretur restituere, uti constat ex dictis n. 49. quia prior intulisset grave damnum. Si autem Titius mutilasset Cajum, qui postea alio morbo vel casu obiit, si ante mortem sententia lata est vel transactum est de certo pretio propterea solvendo, tenetur Titius totum solvere hæredibus, quia fuit obligatio per sententiam vel per contractum inducta cum spe & periculo utrimque lucri & iacturæ: è contrà si nulla fuisset lata sententia vel contractus initus, non teneretur nisi ad damna vivo causata, quia non fuit causa efficax damnorum post mortem obvenientium, ita *Sanch.* dub. 2. n. 12.

309 §. 5. Si occisus nec uxorem nec liberos habeat, neque fuisset habiturus, plures cum *Steph.* n. 54. dicunt restitutionem esse faciendam hæredibus ab intestato, hi enim repræsentant occisum & succedunt in iura ac onera; si autem credatur, quòd fuisset habiturus liberos, dicunt nihil deberi, tum enim hæredes habent potiùs commodum quàm damnum; *Sanch.* tamen dub. 3. n. 3. & *Tamb.* n. 5. rectè dicunt expensas pro curando vulnerato, qui postea moritur, item alia ipsi ideo ante mortem debita, restitui debere hæredibus, quia hi succedunt in iura defuncti; aut si nullus sit hæres, dandum est pauperibus, damna autem alia  
facta

facta postquam vulneratus est mortuus, v. g. quòd non possit dare alimenta parentibus, uxori, filiis, dicit restitui non debere hæredibus, quia hæres tantum acquirat jura, quæ habuit defunctus non autem alii. Quòd si, v. g. uxor post occisum maritum æquè commodè nupsit, vel possit nubere, aut si aliquis eâ occasione det ipsi alimenta, huic non esset opus aliquid restituere, tum quia reipsa non fuit damnificata, tum etiam quia occisor ideo tenetur, quia succedit in obligationem mariti, qui eam debuisset alere, maritus autem non teneretur alere, si aliunde ei esset provisum, ergo. Pro dubio autem, quantum teneatur occisor compensare filiis occisi; item quot filios & quàm diu teneatur alere, videri potest *Beja* p. 1. cas. 43.

§. 6. *Salon. Arrag. Cord. Led. Less. Lug.* alique <sup>310</sup> communiter cum *Busenb.* dicunt damna secuta ex occisione vel mutilatione Titii esse compensanda solis parentibus, uxori & filiis, eò quòd reliqui censeantur esse velut extranei se remotè habentes, & per accidens patiantur illa damna: *Lop. & Sanch.* dicunt compensanda esse etiam fratribus & sororibus, saltem tum, si occisus eos per sententiam Judicis tenebatur alere, quia jam habebant jus ad illa, quæ accepissent à Titio, ergo qui per vim impedit, tenetur compensare; addunt *Mol. & Haun.* id maximè tenere de creditoribus, si occisor præviderit hoc eorum damnum, imò *Sotus, Nav. Adrian. Panor. Rosel. Vasq. Turr.* alique apud *Lugo* d. 11. n. 74. dicunt in hoc casu teneri compensare etiam extraneis, quod *Illf.* t. 4. d. 2. n. 78. defendit tanquam speculative probabilius, licet agnoscat oppositum esse

esse practicè probabile; Ratio est, quia qui per vim impedit alterum à consecutione boni, tenetur damnum compensare, secundum æstimationem spei probabilis & proximæ, quam habuit, uti dictum est à n. 69., sed hic occidens illos omnes impedit per vim, ergo. *Conf.* nam si quis per fraudem induxisset Titium ad bona illa non præstanda, teneretur compensare omnibus etiam non habentibus jus sed solam spem illa obtinendi, secundum dicta n. 69., ergo multò magis qui occidendo, per vim impedit.

§. 7. Quamvis *Busenb. ex Less.* resolvat, si læsus ante mortem omnia remittat occisori, hunc ad nihil teneri, quod etiam docent *Molin. & Sanch.*, tamen videtur dicendum cum *Lugo d. 11. n. 63. & Ills. n. 88.* non posse remittere obligationem restituendi pro damnis, quæ advertenter causavit lædendo jus, quod habebant alii, v. g. ad alimenta, ad spem melioris hæreditatis, ad plenam solutionem debiti &c., hoc enim jus non pertinebat ad occisum, sed immediatè ad hæredes aut creditores, ita etiam *Ills. d. 3. n. 88.*

311 §. 8. In æstimanda spei lucri, possunt deduci expensæ necessariæ ad victum & vitam occisi, non tamen labores; quibus dictum lucrum sibi comparare debuisset, quia quòd hos labores non posuerit, factum est per injuriam occidentis, & alioquin totum ferè lucrum posset detrahi; unde sicuti qui ab opifice abstulit instrumentum, tenetur ad totum lucrum cessans resarciendum, non deductis laboribus, ita & hic, ita cum communi *Steph. n. 23.*, quamvis oppositum putent probabile *Maj. Rebel. Molin. Dian. p. 3. t. 6. R. 53.*, sed *Bonac. n. 8.* sic explicat, quòd hoc

hoc tantum possit detrahi, quod occisus vel mutilatus præsumi potest libenter daturus fuisse pro redemptione laboris. Ad quid teneatur ille, qui aliquem occidit, prævidens alteri imputandum esse homicidium, qui etiam ideo damnatus est passus, satis colligitur ex dictis n. 156. Denique circa casum, quo quis occidit inimicum suum putans esse feram, aut occidit Titium putans esse Sempronium, videri possunt dicta n. 200. & 201.

## ARTICULUS IV.

### *Quid debeat restitui pro illato stupro.*

Resp. Qui virginem per injuriam defloravit, 312  
tenetur tantum rependere damnum, quod ei ex tali injuria est secutum, idque vel Matrimonio, vel damni æstimatione ad arbitrium prudentis, ut talem nimirum maritum inveniat, qualem manens virgo invenisset. V. Sanch. l. 7. de Matrim. d. 14. Fil. r. 32. n. 220. Unde resolves,

I. Præcisè pro sola virginitate non obligatur restitutio: Unde si stuprum mansit clam, aut non impedivit, quin æquè lautè nuberet, ad nihil tenetur stuprator. Less. l. 2. c. 10. n. 15. Bon. q. 4. de Matr. p. 7.

II. Item ad nihil tenetur, si defloravit consentientem, absque vi & fraude, vel promissione Matrimonii: quia non est facta injuria. Ib. & Trul. l. 7. c. 9. d. 2.

III. Si virginem importunis precibus flexit, nihil tenetur restituere, quia adhuc consentit

li-

liberè. Nisi fortè preces tales fuerint, ut cum vi  
& coactione æquiparentur; ut si conjunctæ  
fuerint cum minis, & metu reverentiali, v. g. si  
fuit illius dominus, vir sit magnæ auctoritatis,  
*Trul. n. 4.*

IV. Si per promissionem veram, vel fictam  
Matrimonii eam flexit, tunc tenetur ducere  
eam, quia in omni contractu, ubi alter ex parte  
sua acceptavit & implevit, tenetur & alter im-  
plere, etiamsi fictè contraxerit, quia tenebatur  
ex justitia verè contrahere; cum alioqui omnia  
humana commercia fraudibus paterent. Et id  
quidem verum est, etiamsi stuprator Religio-  
nem vovisset. *Less. d. 3. & 4. Tint. d. 3. n. 1. & 2.*

V. Non tamen tenetur fictus promissor eam  
ducere, casu quo, 1. Is puellam valde notabili-  
ter conditione excederet, vel verbis usus esset  
fictionem facile indicantibus, 2. Si ipsa conscia  
esset prædicti voti; quia tunc ipsa contraxisset  
malâ fide. 3. Si ipse putavit esse virginem, cum  
tamen non esset. 4. Si ex Matrimonio grave da-  
mnum aut scandalum timeretur. 5. Si ipse jam  
sacris initiatus est, aut alteri Matrimonio copu-  
latus: tunc enim his casibus solùm teneretur  
curare, ut æquè commodè nubat, modò antè  
dicto; dando scilicet dotem, vel aliter, *V. Sanch.  
l. 1. de Mat. di. 10. n. 1. & seqq. Trul. n. 3.*

#### A D D E N D A.

313 Q. 64. Quid præterea sit notandum circa restitu-  
tionem pro stupro vel defloratione. *Re. Seqq. §. 1.* Stup-  
rator dicitur, qui invitam; deflorator, qui con-  
sentientem virginem corrumpit, ideoque plus  
obligationis habet stuprator, nam licet puella  
non

non fuerit virgo, si tamen communiter habebatur talis, & ex stupro secuta sit infamia vel difficultas major ad nuptias, stuprator tenetur compensare damna, uti cum communi *Nav. Az. Vasq. Lugo* d. 12. n. 15. Quod si virgo per stuprum corrupta nolit cum stupratore Matrimonium, hic tenetur dotem dare, quia debet puellæ manere libertas, qualis antea erat, ut nubat, cui velit, *Az. Less. Bonac. Turr. Lugo* n. 12. *Gob.* in *Exp.* t. 10. n. 217. contra *Covar. Mol.* & alios, qui dicunt eum satisfacere, si offerat se in maritum: si autem ipsa nollet dotem sed peteret eum maritum, *Azor* putat hunc teneri ducere, & *Lugo* n. 14. putat probabile, sed *Less.* l. 2. c. 10. n. 13. id negat, nam relicta ei tali libertate nubendi, cui volet, qualem antea habebat, satis est rem reduci ad æqualitatem, quod fit per assignatam dotem: nec tenetur dare totam dotem, sed solum addere, quantum sufficit, ut æquè bene nubat, sicuti antea nupsisset, uti habet communis cum *Lugo* n. 13. & *Gob.* n. 219. Si tamen non posset alio modo reparare injuriam, quàm ducendo, licet Matrimonium non promississet, teneretur ducere, uti habet communis; limitant *Lugo* n. 18. & *Tamb.* l. 7. c. 5. §. 3., nisi esset magnus excessus inter ipsum & ipsam, quia nec alia debita sunt necesseriò restituenda, quando longè plus expendere opus est, quàm sit valor ipsius debiti.

§. 2. Si Titius stuprum intulerit Cajæ sibi conjugine, nec possit dotare, multi apud *Sanch. de Matr.* l. 5. d. 5. n. 5. dicunt esse liberum, quamvis etiam promississet Matrimonium, quia hæc promissio erat de re illicita, ratione impedimenti; addunt non teneri petere dispensationem, quia

314

quia hoc non fuit adjectum promissioni, quam sententiam *Sanch. n. 7.* dicit esse probabilem, quando enim *Cap. 1. De adulteriis* dicitur, ut deflorans ducat defloratam, non est hic casus, ubi impedit consanguinitas, uti notat *Sanch. ibid. l. 8. d. 36. n. 12.*, nam sicuti qui obstructus voto castitatis, de quo deflorata scivit, non tenetur eam ducere aut petere dispensationem, uti habet sententia probabilis, ita & hic: nihilominus *Lugo in Resp. mor. l. 6. dub. 19.* probabilius docet Titium teneri ducere, si aliter non possit compensare damnum, quia damnum, quod *Caja* patitur, provenit ex iniuria *Titii*, quilibet autem tenetur reparare damnum ex iniuria sua proveniens; consequenter tenetur petere dispensationem, quia qui tenetur ad finem, tenetur ad media necessaria, uti fatetur *Sanch. n. 12.*

315 §. 3. Pro deflorata præsumitur in foro externo, quod fuerit virgo & quod sit seducta: si tamen non fuisset virgo, & deflorator adjudicaretur pœnæ, quia corrupisset virginem, hæc teneretur restituere, quia sciret sententiam nisi falsà præsumptione, *Panorm. Mol. Lugo n. 3.* Similiter si per metum justum inducta est, v. g. si deflorator dixit, quod vellet accusare de aliquo, de quo licetè accusare poterat, non tenetur quicquam restituere, quia ipsa consensit, ut hoc damnum vitaret, *Turr. Lugo n. 5.* Si tamen ipse propalaret deflorationem, teneretur ad damnum ob injuriam famæ læsæ, æquè ac si injustè deflorasset, *Mol. Lugo n. 6.*

316 §. 4. Si puella deflorata est absque promissione Matrimonii, *Less: in auct. v. Sponsalia cas. 3.* putat defloratorem posse per Judicem cogi, ut ducat,

ducatur, dicitque esse communem, & favet cap. 1. De adulteriis, sed alii cum Gob. à n. 202. probabilius dicunt id intelligi debere tantum de eo, qui decepit, non autem, qui simplici petitione induxit, volenti enim nulla fit injuria: si tamen dominus vel Superior importunè petivisset, talis metus reverentialis videtur violentiæ æquivalere.

§. 5. Qui datâ spe Matrimonii induxit, tenetur in foro conscientiæ ducere etiam ante omnem sententiam, quia censetur tacitè promississe: neque licitum est parentibus impedire tale Matrimonium, alioquin impediunt executionem ejus, ad quod filius obligatur; neque puella tenetur expectare, v. g. ad triennium, donec parentes sponsi consentiant, quia tales promissiones, uti & vota, censentur fieri pro primo tempore commodo: adde talem teneri, etiamsi postmodum se obligasset ad servitium, quia hæc obligatio posterior non potest præjudicare priori, ita Less. suprâ. Quod si puella ad copulam tentata petierit, an me ducet, si fuero facta gravida? & Titius responderit, non deseram te, sicque deflorarit & imprægnarit, Titius tenebitur ducere, ut damnum reparet, in quod puella non consensit, nisi ex spe Matrimonii facta, Gob. n. 80. 222. & seqq.

§. 6. Qui datâ spe Matrimonii ex puella suscepit plures proles, tenetur eam ducere, uti dictum est, neque puella potest eam obligationem remittere, quia vel justitia vel saltem charitas & pietas in proles obligat, ut legitimentur, ne maneat infames & priventur hæreditate aliisque commodis, Lugo in Resp. mor. l. 1. dub. 44. n. 4.

§. 7.



- 319 §. 7. Si Cajus & Titius separatim promiserint Matrimonium Bertæ, sub conditione, si ex ipsis conciperet, & eodem ferè tempore copulam habuerint cum illa, ita ut ipsa nequeat discernere, è quo conceperit, nunc autem, ut honorem salvet, velit nubere uni, meritò dubitatur, an aliquem & quem possit cogere ad Matrimonium secum, nam si cogat Cajum, fortè faciet ei injuriam, & prolem supposititiam è Titio conceptam illi afferet; atque idem est, si Titium cogat. *Si dicas*, posse cogere, quem volet, uterque enim reus est, cum uterque per suum peccatum sit causa illius dubii: *Contrà* est, nam neuter scivit de altero, è contrà Berta scivit de utroque, quem admittit, ergo potiùs malitia Bertæ est causa illius dubii, unde videtur potiùs Berta amisisse jus cogendi alterutrum, cum dicere non possit, multò minùs probare se ex hoc vel illo determinatè concepisse: an autem unus illorum teneatur admittere vel alere prolem, dictum est p. 1. n. 704.
- 320 §. 8. Si votum castitatis vel Religionis fiat post deflorationem & promissionem Matrimonii, communis & vera sententia est contra paucos, quòd deflorator teneatur ducere, jam enim antecedenter erat jus strictum puellæ acquisitum ergo votum superveniens non obstat illi obligationi, sicuti non obstat, si rem alteri debitam voveres dare pauperibus. Si autem votum præcesserit, *Hurt. Perez & Gob. n. 100.* negant defloratorem teneri ducere, si aliter possit compensare damna & impedire infamiam; idem docent *Nav. Laym. Dian. & alii apud Lugo n. 40.*, etiam si non posset aliter compensare damna, quia materia promissionis erat illicita ob votum, ergo promissio

missio illa videtur fuisse invalida : *Vasq. Sanch. Con. Tann. Castrop. Lugo, Tamb. Haun. Jhs. t. 4. d. 3. n. 93.* melius dicunt deflo- ratorem teneri ducere puellam, si hæc fuerit voti ignara, quia obligatio gratuita ex religione debet cedere obligationi onerosæ ex justitia, & aliàs qui vovisset omnia bona sua dare pauperibus, si postea gravissima damna aliis inferret, satisfaceret dando pauperibus, quod nemo dicit : putant quidem aliqui tale votum ab initio habuisse hanc conditionem implicitam, nisi gravior obligatio supervenerit, ideoque Deum aliter non acceptasse, sed abstrahendo ab hoc dicendum est deflo- ratorem teneri petere dispensationem voti, quia quivis tenetur adhibere media ordinaria ad reparandum jus alienum injustè læsum, sicuti si Religio- sus intulerit damnum, & possit illud resarcire petitâ à Prælato veniâ, utique tenetur hanc pe- tere. Quòd si puella fuisset conscia voti, deflo- rator videtur liber, uti probabiliter tenent *Less. & Sanch.* apud *Lugo* n. 50., & deberet puella suæ imprudentiæ imputare, quòd consensisset aut credidisset promittenti; *Lugo* tamen etiam pro- babiliter putat adhuc teneri dispensationem pe- tere, quia promittendo Matrimonium credi po- terat, quòd se obligaret ad tollenda, si posset, illius impedimenta, quale erat impedimentum voti.

§. 9. Qui datâ fide Matrimonii defloravit consanguineam consciam impedimenti, in quo non solet dispensari nisi ex gravissimis causis, si hæc absint, ad nihil tenetur; si autem in eo di- spensari soleat ex causa, & hæc causa absit, etiam ad nihil tenetur, quia dispensatio sine causa peti

Tom. III.

O

non

non potest, nec prodest, si falsa causa afferatur, *Sanch. de Matrim. l. 5. d. 5. n. 3.* Si autem causa illa adsit, & ille sub conditione dispensationis promiserit, multi tam Juristæ quàm Theologi apud *Sanch. n. 5.* adhuc dicunt ad nihil teneri, & hoc probabile agnoscit *Sanch.*, quia talis conditio in iure censetur impossibilis, cum pendeat à sola voluntate Principis, sitque præterea contra jus ordinarium & legem communem. Alii apud eundem *Sanch. n. 12.* dicunt promissionem esse quidem validam, sed posse ad nutum ab utroque revocari, etiam altero invito, ante & post dispensationem obtentam, nisi hac obtentâ ratificetur consensus, non aliter atque sponsalia impuberum, promissio enim illa non debet esse ita irrevocabilis, uti esset, si fieret à personis non impeditis; *Sanch.* tamen aliique plurimi cum *Lugo n. 53.* probabilius dicunt promissionem valere, adeoque defloratorem tenent obtentâ dispensatione, imò obligari petere, quia totum, quod promittitur, est licitum & possibile, quod enim pendet à voluntate Principis non censetur impossibile, quando concedi solet, uti hic fit. Quòd si promissio fuisset absoluta sine mentione dispensationis, *Sanch. n. 26.* aliique dicunt esse invalidam, quia quod promittitur, est illicitum, sed *Lugo n. 54.* meritò contradicit, si impedimentum utrique fuerit notum, idemque sentiunt multi apud *Sanch. n. 25.*, quia taciti & expressi eadem est vis, & conditio, quæ de jure necessaria est ad valorem actûs promissi, semper intelligitur promissioni inclusa, ergo etiam hic promittens censetur dixisse, si fieri possit, potest  
autem

autem fieri per dispensationem, sicuti si Religiosus alteri promittat dare aliquid, semper intelligitur, habitâ facultate Prælati, ad quam petendam se obligat, quia sine ea nihil dare potest.

§. 10. Qui defloravit puellam, non tenetur 322  
hujus parentibus ratione infamiæ, nec pro eo, quod dos ei augeri debeat, uti habent *Mol. Less. Lugo n. 8. Gob. n. 215. Jlls. n. 90. contra Az. Nav. & alios*, quia puella tali juri vel debito resignare potest absque consensu parentum, censeturque resignare, liberè consentiendo in copulam, sicuti Ordo religiosus non habet jus, ut Religiosus non peccet, quamvis Ordo inde infametur: habent tamen tam parentes quàm Ordo jus, ut si peccatum sit occultum, non propaletur cum sua infamia, quia hoc non officit libertati peccantium; possuntque etiam puella & Religiosus prævidentes ex peccato suo talem infamiam redundaturam, peccare contra charitatem aut contra pietatem in suos, uti omnes fatentur.

§. 11. Si puella corrupta, quando erat in periculo non bene nubendi, accepit aliquid à corruptore, aut contraxit de aliquo pretio accipiendo, quamvis postea æquè bene nubat, potest retinere, aut exigere id, de quo contractum est, quia subivit periculum pretio isto iustè æstimatum, *Lugo n. 17. Jlls. n. 71. Si autem corrupta moriatur, antequam tempus nubendi advenierit, corruptor ad nihil tenetur hæredibus, nisi pactum vel sententia Judicis præcessisset, Less. Vasq. Turr. Lugo & Jlls. supra.*

§. 12. Si deflorator fictè jurarit inire Matrimonium, quamvis puella sciverit eum esse conditionis superioris, *Mol. & alii apud Sanch. de*

Matr. l. 1. d. 9. n. 8. dicunt obligari, quia sic censetur renunciassse juri conditionis suæ; sed negant alii cum *Lugo* n. 22., quia juramentum non obligat ultra intentionem jurantis, secundum dicta p. 1. n. 321., ergo si non habuit intentionem se obligandi, non obligatur; tenetur tamen de damnis per injustam fictionem datis. Quod si puella nescit esse superioris conditionis, ideo que suspicari non potuerit, quod fingeret, multum cum *Vasq.* probabiliter docent debere duci, negant tamen alii cum *Sanch. & Lugo* n. 32., qui debitor, etiam ex delicto, non tenetur cum tanto & tam inæquali damno servare promissum, sed sufficit dotare, vel facere, ut nubat tali, qualem putabat esse corruptorem: si tamen serio promississet, tum ratione promissionis deberetur totus ille excessus, ad quem dandum voluisset obligare conscius suæ conditionis: si autem puella semiplenè tantum advertere potuit fictionem, aliqui dicunt fingentem teneri tantum ad partem, sed probabilius est teneri ad totum, quia si cuti semiplena advertentia non sufficit ad valorem contractus, ita nec ad valorem renunciationis sui juris, & sicuti si debitor semiplenè advertenter remisisset tibi debitum, adhuc teneretur solvere, ita & hic, *Lugo* n. 30.

325 §. 13. Quando corruptor fictè promissit alicui, quam falsò putabat esse virginem, si ipsa dixit se virginem, fictè promittens ad nihil tenetur, quia fraus fraude compensatur: si autem ipsa non dixit, sed ille ex errore suo putavit esse virginem, adhuc putat *Less.* ad nihil teneri, quia etiam si serio promississet, ad nihil teneretur, quando id deprehenderet: hinc *Henriq. & Sanch.*  
de

de Matr. l. 1. d. 10. n. 24. dicunt, si fictè promiserit viduæ non virgini & ita adduxit ad copulam, non teneri ducere, nam non tenebatur ex iustitiâ habere verum consensum, quia copula ista non erat digna pretio talis consensûs, nisi mulier illa fuisset valde honesta & ideo subiret periculum postea non inveniendi alias nuptias, uti notat *Lugo* n. 34., qui n. 24. cum aliis dicit, licet mulier talis non dixerit se virginem, attamen corruptorem teneri, non quidem ad tantum, quantum si esset virgo, attamen ad tantum, quantum deteriorata est, aut quanti apud improbos valet talis usus corporis, sicuti si à me acceperis vestem putans esse pretiosorem, ideoque promiseris 20., si postea deprehendas non fuisse tam pretiosam, non teneris quidem ad 20., sed ad hoc, quanti valebat.

§. 14. Si deflorata postea iterum fornicetur cum alio, qui sub ficta promissione defloravit, ad nihil tenetur, quia si seriò promississet, cessaret obligatio, jam autem tenetur tantum ratione fictionis, à cuius debito liberatur per sequentem puellæ fornicationem: limitat tamen *Lugo* n. 26., nisi deflorator procurasset fornicationem cum alio, ut sic ab obligatione liberaretur, tum enim per fraudem fuisset iniusta causa illius peccati, ex quo peteret excusationem. 326

§. 15. Si puella sciverit quidem adesse impedimentum Matrimonii, sed deflorator fictè promittens innuerit de dispensatione, quæ facile obtineri posset, tenetur procuratâ dispensatione ducere, quia puella prudenter credere potuit esse seri-um, adeoq; quod se obligare voluerit ad dispensationem petendam, secundum dicta n. 321. 327

328 §. 16. Si Titius sub promissione Matrimonii defloravit Cajam, & Caia postea nolit Matrimonium, Titius ad nihil tenetur, nisi finxisset se melioris notabiliter conditionis, quàm erat, tum enim ob fraudem meritò repelleretur, & aliter per dotem teneretur compensare damnum; si autem Caia vellet, sed Cajæ parentes impedirent. *Nav. Silv. Henriq. Vasq.* dicunt defloratorem teneri dotare, ne puella sine culpa sua damnum patiatur, sed *Sanch. & Lugo* n. 29. id negant, quia Titius non obligavit se ad conjugium vel dotem pro electione Cajæ, sed determinatè ad conjugium, ergo si per ipsum non stet, quominus incurratur conjugium, satisfecit.

329 §. 17. Qui fictè promisit & ita induxit ad turpes tantum tactus patiendos, communiter ad nihil tenetur; fieri tamen potest, ut, si innotescat, teneatur ducere, uti rectè *Lugo* n. 27. Imò quamvis nec corrupta nec tacta sit, si tamen ex ficta spe Matrimonii adducta est ad talem familiaritatem, ut sit subitura famæ jacturam & damnum, nunc ducatur, erit obligatio ducendi, uti rectè *Sanch. & Lugo* n. 48. Nec satis erit ducere, sed consummari debet Matrimonium; neque licitum erit in Religionem ingredi, uti tenet *Lugo* n. 48. contra *Pontium & Dianam* p. 2. t. 4. R. 203., Ratio est, quia sic non resarciretur damnum, per fraudem ex nimia ista familiaritate causatum, maneret enim prudens suspicio admixtæ antehac copulæ.

330 §. 18. Si deflorator neget se habuisse copulam, & deflorata juret ipsum habuisse, nihil potest credi, quia asserenti incumbit probatio, neque hic in propria causa admittitur iuramentum  
supple-

suppletorium probationis, quamvis deflorata  
 esset prænobilis & hactenus habita pro honesta,  
 & etiamsi ipse fateretur intercessisse familiarita-  
 tem, aut etiam de nocte, dummodo extra lectum,  
 fuisse versatum cum illa & impudicè attigisse, per  
 hoc enim necdum fit semi-probatio, præsertim  
 cum sic daretur occasio puellis sibi alligandi alios  
 ditiores vel nobiliores, ita cum aliis *Gobat. t. 10.*  
*à n. 186. contra Fabrum & alios.* Quòd si alterutri  
 credendum esset, juramentum masculino potius  
 quàm foeminae esset deferendum, tum quia sexus  
 virilis magis ad veritatem propensus est, tum et-  
 iam quia foemina aetrix ob fornicationem incipit  
 esse infamis, *Menoch. & alii cum Gob. n. 189.* Quan-  
 donam sit violenta aut vehemens præsumptio  
 copulae habitae, vide dicenda l. 4. n. 1439. &  
 1445.

## ARTICULUS V.

### *Quid debeat restitui pro adulterio.*

Resp. Cùm ex adulterio damnificari possint<sup>338</sup>  
 conjux alter, & proles legitimæ, circa sustenta-  
 tionem, hæreditatem, &c. patet, quòd uterque<sup>338</sup>  
 adulterans, natâ eis prole, debeant, cum id da-  
 mnum causent, eatenus restituere, quatenus<sup>338</sup>  
 possunt sine detrimento altioris boni, & causa-  
 tione majoris mali. *Est communis. Vid. Lay. l. 3.<sup>338</sup>*  
*t. 3. p. 3. c. 14. Unde resolves,*

I. Quod attinet ad ipsam adulteram, ordi-  
 nariè non tenetur prodere, quòd proles ejus<sup>338</sup>  
 spuria sit: nam & viro suo tristitiam, & sui odi-<sup>338</sup>



um, & discordias domesticas crearet, ac famam suam prodigeret, quibus damna fortunæ merito cedunt. Accedit, quod proles matri non tenetur credere se esse illegitimam. *Fill. t. 32. n. 225.*

II. Debet tamen, si potest, aliis industriis damnum compensare, v. g. 1. diligentius administrando rem familiarem; 2. de cultu corporis detrahendo; 3. si habet bona propria, plus legitimis, quam spurio relinquendo; 4. eum inducendo, ut relictâ hæreditate, vel ejus parte, amplectatur statum Ecclesiasticum vel Religiosum, si idoneus sit, &c. *Trull. l. 7. c. 9. d. 4.*

III. Quod attinet ad ipsum adulterum spurii patrem, etiam ipse sæpe excusatur, vel in toto, vel ex parte; sive quia damnum ab adultera compensatum fuit, vel compensandum creditur; sive quia restitutio non potest fieri sine periculo vitæ, dispendio famæ, turbatione & discordiis familiarum; sive quia non est certus filium esse suum, v. *Less. l. 2. c. 10. d. 6. Bon. de Mat. q. 4. p. 15. Trul. d. 7.*

#### A D D E N D A.

332 Q. 65. Quid præterea sit notandum circa restitutionem pro adulterio. R. Seqq. §. 1. Si adultera non possit sine infamia sua reparare damna, *Adr. Hostien. Palud.* obligant, ut se infamet, quia id debet delicto suo imputare; quod *Sor. Mai.* & alii apud *Azor T. 3. l. 4. c. 39.* dicunt tum saltem esse verum, si ingens patrimonium, v. g. regnum, principatus, comitatus, aliàs transfiret ad spurium defraudato legitimo: *Cajet. Med.* aliique communiter negant teneri se infamare, quia fama est

est bonum superioris ordinis; & hoc clarè innuitur Cap: *Officii*, De pœnit. & remiss. *Covar. Tol. Mol. Vasq.* alique cum *Lugo* d. 13. n. 45. meliùs sic distinguunt, si infamia sit tanta, ut iudicio prudentum multùm præponderet detrimento ab aliis ferendo, non est obligatio, nemo enim tenetur restituere cum longè majori suo incommodo, neque damnificatus potest obligare damnificantem, ut tale detrimento sibi inferat, exequendo quasi pœnam in seipsum, quamvis ipsemet, si sciret injuriam factam, posset exigere debitum, & permittere illud detrimento per accidens connexum; si autem non sit tanta infamia, tenetur, nam aliud est non esse obligationem restituendi bonum unius ordinis pro bono alterius ordinis, & aliud, non esse obligationem restituendi bonum unius ordinis pro bono ejusdem ordinis, etiam cum aliquo detrimento boni alterius ordinis, uti n. 304. *Inst.* 3. explicatum est; hîc autem obligatio tantùm erit reddendi bona fortunæ pro bonis fortunæ, cum aliquo detrimento famæ: etiam rectè notat *Tamb.* l. 7. c. 3. §. 4., si adultera esset mulier prostitutæ famæ, item si deberet tantùm apud unum vel alterum virum prudentem, aut apud solum filium spurium prodere crimen suum, & sic posset cavere damna, ad hoc teneri: imò v. g. Regina, quamvis occidenda foret, teneretur sub mortali revelare primogenitum esse spurium, si sit hæreticus, vel aliter gravissimè nociturus Reip.; si succedat, nisi fortè primus legitimus sit etiam talis; quia bonum commune prævalet vitæ hominis privati, *Vasq.* alique communiter cum *Lugo* n. 44.

- § 333 §. 2. *Vasq.* contra communem aliorum sententiam putat adulteram, si absit periculum mortis, scandali vel infamiae gravioris, teneri manifestare spurio conditionem suam, quamvis sciret illum non crediturum, sicuti si Caio dedisses rem Titii, tenereris manifestare Caio, quamvis praevideres Caium non redditurum, quia licet nunc non credat, postea fortasse mutabitur & credet: admittit ista *Lugo* n. 31., si uterque teneatur credere, tunc enim, licet non credat, perget semper obligari ad restitutionem: *Fls.* t. 4. d. 3. n. 98. dicit non teneri manifestare, nisi moraliter certo sciat aliquando crediturum, & sic impedienda damna; sed credo sufficere spem prudentem, nunquam enim potest moraliter certo id praesciri, cum pendeat à libertate hominis jam valde male dispositi.
- § 334 §. 3. *Covarr. Gom. Castro & Canonistae* communiter cum *Mol. Vasq. Less. Fls.* supra docent filium, quamvis sciret matrem aliquando adulterasse, non teneri ei credere, quamvis iuret ipsum esse spurium, nisi convincatur, v.g. per duos testes, qui deponant maritum abfuisse toto tempore, quo concipi potuit, quia possessio est pro honestate, à qua non debet deturbare incertum testimonium matris, praesertim cum sciatur matres posse in hoc errare, aut etiam quandoque impotentes esse in amore erga unam, & in odio contra alteram prolem; hinc dicunt *Less. & Fls.* ab omnibus Canonistis receptum esse, quod non detur obligatio, nequidem pro foro conscientiae, habendi fidem uni homini etiam omni exceptione majori, si ideo grave damnum esset subeundum, quia sic daretur occasio multis frau-

fraudibus, mendaciis, iniustitiis, periuriis; & hoc cõforme est Cap: *Licet universis*, Cap. *Veniens*, Cap. *Anobis*, De testibus & attestationibus: putant tamen *Hostien: Panorm. Med. Adr. Palud: Sor: Vasq: Rebel.*, si mater videatur dignissima fide, & filius non habeat rationem dubitandi, considerata matris probitate, Dei timore, ejus amore in filium hætenus constanter probato, hunc in conscientia teneri credere, tum enim aderunt sufficientia motiva, & deerit prudens ratio dubitandi: idem dicunt *Tol. & Turr.*, si talis mater id juret in articulo mortis post sumptam Eucharistiam: *Lugo* d. 11. n. 62. dicit non teneri credere in foro interno, nisi talia sint indicia, ut si proponerentur in foro externo, ipse pronunciaretur esse spurius, quia forum internum conformari potest externo, imò sæpe debet, quando non constat, quòd externum nitatur præsumptione falsâ. Vide *Leur.* p. 1. q. 265. & 266.

§. 4. Si adultera non sit certa, quòd proles sit 335  
spuria, uti quandoque incerta esse potest propter vicinitatem copulæ mariti, excusatur ab obligatione restitutionis, quia in dubio præsumitur pro Matrimonio, cui proles tanquam favor adjudicatur, ita cum communi *Tamb.* supra: si autem adulter causam dubitandi haberet, & tamen simul sint indicia sufficientia, ob quæ coram Deo credere debeat prolem esse suam, v. g. quia tempus partûs correspondet tempori adulterii, & maritus tum aberat, quia maritus antea filios ex uxore non genuerat, quia mater dicit se ex adulterio concepisse & non ex marito, putat *Mol. T.* 4. d. 103. n. 3., quamvis fortè in foro externo esset absolvendus, tamen persistente dubio adhuc  
in

in conscientia teneri ad partem damnorum pro quantitate dubii, quia non est bonæ fidei, cum malâ fide apposuerit causam, ex qua damna illa apta sunt sequi, sicuti qui injustè ignem immisisset sylvæ, si inde accenderetur domus vicina, quamvis dubium esset, an igne illo accensa esset, teneretur ad partem damni: communis tamen sententia Auctorum cum *Lugo* d. 13. n. 17. *Hamm.* t. 2. n. 700. *Illf.* n. 96. dicit etiam in tali casu prolem præsumendam esse legitimam, & Jura ipsa sic statuunt, probatque ratio, nam cum proles ratione Matrimonii inveniatur in possessione honestatis, non debet de ea dejici propter solum dubium; consequenter non obligabitur adulter compensare aliquid, est enim eadem ratio pro prole & pro adultero, qui quamvis non habeat bonam fidem respectu adulterii, tamen habet respectu suorum bonorum, quibus non tenetur se privare dubitans de debito: nec exemplum de igne valet, ibi enim non datur præsumptio contraria, quæ elidat probabilitatem de incendio per ignem illum causato, hic autem datur, quia præsumitur pro legitimitate, quam dat Matrimonium, pro quo est possessio.

336 §. 5. Adultera tenetur solvere alimenta pro-  
lis spurix usque ad annum tertium inclusivè, &  
adulter solus imposterum, *Less.* l. 2. c. 10. n. 42.  
*Lugo* n. 9.; unde si spurius maneat inter legiti-  
mos filios, his & marito compensari debent hæ  
expensæ, ad quas injustè & per fraudem inducti  
sunt. Quòd si adulter suasit adulteræ, vel procu-  
ravit, ut prolem marito supponeret, tenetur æ-  
què primò cum matre damna compensare, *Less.*  
*Lugo Tamb. Illf.*, quia quando consilium est in  
com-

commodum consultoris & executoris, uterque tenetur æquè primò, uti dictum est n. 56.; si autem non suavit nec procuravit, *Sot. & Henriq.* dicunt solam matrem teneri, quod probabile esse dicunt plures cum *Diana p. 2. t. 3. R. 55.*, quia adulter tantum permittit suppositionem; sicuti si adultera sibi procuraret abortum, ipse permittendo non diceretur causa illius: & ideo *Vasq.* putat hanc sententiam tum sustineri posse, si mater ex se absque necessitate voluit spurium retinere domi inter filios; sed alii omnes, teste *Lugo n. 11.* communiter sententiam illam rejiciunt, ideoq; oppositum docet ipse, cum *Dicast. Haun. Ills.* & aliis, tum quia adulterio suo imponit quandam necessitatem matri, ut ad infamiam vitandam supponat spurium; tum etiam quia mater tantum permittendo spurium esse domi inter legitimos censetur causa damni, ergo etiam causa erit adulter, si tantum permittat, quia teneretur impedire & ipsemet alere; denique quia si quis poneret filium alienum in domo *Caji* loco filii *Caji*, prævidens *Cajum* ex errore putaturum esse suum, utique esset iniustus, & teneretur compensare damna per fraudem illam causata, ergo & adulter ponens in utero, & consequenter in domo.

§. 6. Si certum sit prolem esse ex adultero, 337  
sed incertum è quo inter plures, singuli secundum proportionem dubii tenentur ad partialem restitutionem alimentorum & partis hereditariæ legitimis subtractæ, cujus tamen portionis dimidium restituere debet adultera, ita ut adulteri alterum dimidiū loco patris certi restituant; Ratio est, quia licet is, qui dubitat, an damnum

mnium iniustum caufarit, ad nihil teneatur, uti dicemus n. 574., tamen hinc finguli communi operâ sunt caufa ipsius incertitudinis, quæ iniuste impedit, ne ab uno determinato exigî poffit debita reftitutio, & in hoc damnum finguli conſenſerunt volendo copulam per fe caufativam ejuſmodi damnorum, uti argumentatur *7lls.* n. 97.; addens adulteros fimiliter teneri ad alimentationem ſpurii, de quo videri poſſunt dicta p. 1. à n. 704.

338 §. 7. Secundum *Mol.*, adultera tenetur etiam ad alia damna ex illo errore orta, v. g. ad compenſandas donationes & munera, ſi ſpurio fiant à conſanguineis, quia credunt eſſe legitimum: *Lugo* tamen à n. 39. limitat ad ea damna, quæ per fe connexionem habent cum partu adulterino, uti ſunt, 1. damna legitimorum circa hæreditatem paternam & maternam. 2. Alimentorum & expenſarum in illegitimum. 3. Hæreditatum & legatorum devolutorum ad ſpurium ab aſcendentibus. 4. Hæreditatis conferendæ à conſanguineo, qui dedit primogenito, quem putabat legitimum. 5. Fidei commiſſorum aliorumque jurium ſanguini paterno annexorum; ad hæc enim & ſuperiora determinatè jus habent legitimi: 6. Si ſpurio ab inteſtato ſuccederet fratri alterive conſanguineo, non ſucceſſurus, ſi ſciretur eſſe ſpurioſus.

339 §. 8. Si prudenter præſumatur maritum & filios legitimos malle delictum matris ſuæ occultum eſſe & damna iſta pati, quàm maculam aperiri, vel caufari aliud grave incommodum, v. g. mœſtitiâ, inquietudinem, lites, putat *Hannoldus* matrem, ſi aliter non poſſit compenſare

ſare

sare damna, non teneri procurare restitutionem manifestando : sed de hoc postea , quando de causis excusantibus à restitutione.

§. 9. Adulter non tenetur marito dare pecuniam pro compensatione injuriæ vel infamiæ, si facinus fortè eruperit , quia pecunia est bonum alterius ordinis : si tamen hanc occultè dederit , maritus potest retinere, uti habent *Less. Tamb. Ills.* n. 95. ; prohibetur autem publicè fieri , *L. Transigere* , 18. *Cod. De transactionibus*, ne maritus cum scandalo putetur corpus suæ conjugis ad quæstum prostituisse : tenetur tamen tam adulter quàm adultera petere veniam & honorare maritum , ut sic pro inhonoratione illa satisficiant.

§. 10. Hic ex occasione notari possunt pœnæ adulterii : *Levit. 20. v. 10. Deuter. 22. v. 22.* punitur morte, & quidem lapidatione, uti habetur *Joan. 8.* Jure civili, viris à Justiniano statuta est pœna capitis , à Carolo V. etiam fœminis. Jure canonico aufertur adultero jus exigendi debitum conjugale, & conceditur separatio thori ad instantiam innocentis. Jure Bavarico inter personas vulgares primâ vice punitur per mensem incarceratione in pane & aqua vel æquivalente levi victu ; si pinguioris fortunæ sint , pendunt præterea 113 florenos & 26 crucigeros ; qui verò tenuioris, mediâ parte, quæ applicatur piis causis & manifestatori : qui autem non est solvendo , post finitum carcerē per tres dies Dominicos continuos stat cum candela ante templi fores, *Haun. n. 705.* Hodie pœna adulterii, inquit *Pirhing l. 5. t. 16. n. 18.* est relegatio sive exilium aut alia pœna arbitraria, etiam pecuniaria : in nostris



nostris partibus ( Dilingæ in Germania ) stare debent tribus diebus Dominicis, vel festis, quando est concursus populi, ante fores Ecclesiæ cum accensa candela : alibi cum lodice sub cathedra concionataria ; alibi per urbem publicè deducuntur à ministris justitiæ cum vase ligneo humeris injecto instar thoracis, capite per foramen superius eminente, vocant, *Spanischer mantel*, vel *heltzen Wammes*.

## ARTICULUS VI.

*Quid debeat restitui pro fama & bonis spiritibus, ut inductione ad peccatum, avocatione à Religione.*

- 342 " Resp. I. Juxta dicta, si restitui non possunt  
 " bona ablata ex bonis ejusdem ordinis, non est  
 " obligatio faciendi ex bonis diversi ordinis: *Unde resolves,*  
 " I. Pro fama, restituenda est fama: cum id non  
 " potes, non teneris ad pecuniam, & bona fortuna-  
 " riæ, nisi per sententiam à judice cogaris sic satis-  
 " facere. Eadem est ratio de reliquis. Quòd si ta-  
 " men lædendo famam, in bonis etiam fortunæ  
 " alteri damnum allatum esset, constat ex suprà  
 " dictis, quid faciendum sit. Porrò de læsione fa-  
 " mæ, &c. *vid. infra.*  
 " II. Si quis alterum induxit ad peccatum sua-  
 " sione vel exemplo suo, tenetur quidem ex cha-  
 " ritate, quoad potest, eum revocare ad melio-  
 " rem statum; sed non ex justitia. *Less. l. 2. c. 8. n.*  
 " 10. *Lay. l. 3. tr. 2. c. 8. n. 1.*

III.

III. Si quis autem induxit fraude, dolo, inju-  
sto metu, &c. tenetur ad id ex justitia: quia quis-  
que habet jus, ne injustè lædatur, in bonis spiri-  
tualibus: Unde si lædatur, debet id spirituale  
restitui, si potest. *Ibid.*

IV. Si quis aliquem (etiam Novitium) abdu-  
xit ab ingressu Religionis, tamen sine vi & frau-  
de, etsi graviter peccarit id irrationabiliter fa-  
ciendo, ac proinde teneatur ei rursus suadere  
ingressum ex charitate; non tamen ex justitia,  
vel illi, vel Religioni tenetur, quæ nullum ad-  
huc in eum jus acquisivit: *Vid. Lay. n. 2.*

V. Si quis religiosum ad apostasiam induxe-  
rit suasionem, aliâve cooperatione, obligatur ex  
justitia Religioni ad restitutionem, non quidem  
ut ipse (quod aliqui volunt) loco alterius in-  
grediatur; sed ut suadeat alteri, quoad potest,  
reditum, & compenset Monasterio commoda,  
quæ ex hæreditate, bonis vel industria alterius  
expectabantur.

VI. Si quis veneno, phyltro aliove modo ali-  
cui destruxit memoriam, rationem, &c. tenetur  
eodem modo, quo mutilator aut vulnerans, de  
quo *suprà*, ad restitutionem lucri cessantis, &  
damni inde secuti in bonis fortunæ.

#### A D D E N D A.

Q. 66. Quanta sit injuria & quæ obligatio illius, 343  
qui alium inducit ad peccatum. R. §. 1. Si quis vi vel  
fraude inducat alterum ad mortale, est injuria  
gravis, quia causantur gravissima damna, nem-  
pe privatio gratiæ, vel novum debitum & au-  
gmentum pœnæ æternæ, ac etiam major diffi-  
cultas resurgendi, quò enim magis augetur

P

mor-

mortalia, eò plures, per se loquendo, subtrahuntur gratiæ actuales, magisque crescunt habitus mali, obduratio vel cæcitas mentis: è contrà si quis etiam vi vel fraude inducat ad veniale, ordinariè est injuria tantùm levis, uti dictum est l. 2. à n. 232. An autem fit injuria, si quis solo exemplo inducat alterum ad peccatum, videri possunt dicta p. 1. n. 1009.

344 §. 2. Qui alterum vi vel fraude induxit ad peccatum, tenetur ex justitia, quantum potest, removeere damna inde nata oriri, uti satis constat ex dictis, habentque AA cum *Busenb.* supra: deinde etiam ex justitia tenetur removeere causas ulterioris lapsus: probabile tamen est non teneri ex justitia ulterius efficere, ut alter convertatur, quia sicuti qui ligavit Cajum, & sic impedit, quominus iret ad templum, satisfacit, si solvat, nec tenetur orare aut efficere, ut eat ad templum, ita & hic; cum enim cesset vis & fraus, & alter sciat se deceptum, potest, si velit, ipsemet se à peccato expedire, sicque censetur alteri remittere obligationem ad se convertendum, & si se ipsemet non convertat, ipsi imputabitur, ita *Sanch.* in Conf. l. 1. c. 3. d. 1. n. 5. contra alios multos, qui etiam valde probabiliter dicunt teneri inducere ad bonum, ut damnum pravæ dispositionis injustè causatum reparet. Addit *Steph.* t. 4. d. 5. n. 33.; si alter adverterit fraudem, deceptorem non teneri ex justitia ulterius aliquid facere, quia si tum pergat peccare, non imputabitur decipientis fraudi vel decepti errori, sed malitiæ: talis tamen deceptor secundùm *Nav.* & alios ex charitate tenebitur inducere ad pœnitentiam, sed sub veniali tantùm.

Q. 67.

Q. 67. Quid addendum sit circa illum, qui al- 345  
 terum abstraxit à religioso statu. R. Seqq. §. 1. Qui  
 solo consilio absque vi vel fraude aliquem à No-  
 vitiatu detinet vel abducit, proponendo hono-  
 res, divitias, delectationes honestas in sæculo, &  
 oppositam in Religione vilitatem, pauperiem,  
 molestias &c. secundum *Fill. Castrop. & Burgh:*  
*cent. 3. cas. 80.* non peccat mortaliter, nequidem  
 contra charitatem, nec sub mortali tenetur,  
 quantum potest, reducere: idemque, per se lo-  
 quendo, dici vult *Suar. t. 3. de Relig. l. 5. c. 9. n.*  
*9.*, quamvis per preces & promissiones fieret, ibi  
 enim abest injuria, cum abfit vis & fraus; nec est  
 inductio ad malum, uti patet, cum vivere in sæ-  
 culo non sit illicitum, & Religio sit tantum con-  
 filii; nec est aversio à summo bono, sed tan-  
 tum abstractio à bono ad salutem non neces-  
 sario, uti etiam esset, si aliquem abstraheres à Bene-  
 ficio vel etiam à statu Ecclesiastico: & licet alter  
 sic abstractus, fortè postea patiatur grave dam-  
 num, id per accidens est, & patitur voluntariè,  
 quia liberè consensit. Alii cum *Mol. t. 4. d. 5. n.*  
*2.* probabiliter docent eum, qui absque rationa-  
 bili causa alterum abducit à Religione, peccare  
 mortaliter, quia retrahere à tanto bono videtur  
 esse grave malum, ideoque, qui retraxit, secundum  
 ipsos, tenebitur ex charitate iterum suadere con-  
 trarium; & hanc sententiam sequitur *Busenb. su-*  
*prà, unde Suar. & Less. de statu vitæ deligendo q.*  
*8.* fatentur peccaturum mortaliter, si importunè  
 & sine justa causa ageret, ut Religionem non ad-  
 iret vel desereret, præsertim si faceret contra  
 vocationem Dei moraliter certam, homo enim  
 sic exponitur magnis periculis salutis amittendæ

estque gravius sic alterum inducere ad positivè resistendum consiliis & inspirationibus divinis, quàm illas in se agnitas reipsa non sequi.

346 §. 2. Causæ rationabiles dissuadendi ingressum in Religionem, secundùm *Mol.* suprà sunt sequentes, 1. Si status ille sit ingredienti futurus noxius: 2. Si in illa Religione vel Monasterio dissolutè vivatur: 3. Si complexio volentis ingredi fit tali instituto inepta. 4. Si mores ejus sint ita pervicaces, ut ipsi vel Religioni meritò timeantur majora mala: 5. Si laboret aliquo impedimento, v. g. ære alieno, promissione Matrimonii, infirmitate corporis &c. 6. Si parentes graviter egeant ejus auxilio. 7. Licitum etiam est parentibus, si prudenter dubitent de viribus vel constantia, ad tempus differre ingressum & probare proles suas; peccant autem gravissimè, si exponant periculis peccandi, alliciant aut faciant allici ad voluptates aliave illicita, ut sic à proposito avocent. In dubio autem, an causa dissuadendi aut impediendi sit justa necne, standum est pro Religione, quæ securior est & perfectior, *Mol.* suprà.

347 §. 3. Qui per vim, fraudem vel metum gravem aliquem à Religione impedit vel abstrahit, peccat graviter contra justitiam, est communis cum *Less.* & *Burgh.* suprà, *Dicast.* t. 2. d. 7. dub. 7. *Steph.* t. 4. d. 5. n. 33. & 35. Probatur, quia per *Trid.* ses. 24. c. 18. de Regular. excommunicatur, qui puellam à Religione impedit, est autem æquè grave impedire juvenem. Quòd autem sit contra justitiam, etiam probatur, quia quisque habet jus, ne tali modo impediatur à consecutione boni tanti, secundùm dicta n. 69. Putant quidem  
*Nav.*

*Nav.* & alii, si ille, qui ita abstraxit aliquem, posset alium in ejus locum adducere ad eandem Religionem, ad hoc teneri, quia sic videtur compensari damnum, sed *Sanch.* in Conf. l. 1. c. 3. d. 2. *Lugo* d. 9. n. 30. aliique probabilius id negant, quia hæc non sunt media ordinata ad restitutionem; imò qui occidisset Religiosum, nunquam condemnaretur ad alium inducendum ad tale Monasterium, ergo signum est non deberi ejusmodi restitutionem: tenetur tamen reparare damna, quæ alter sic abstractus ideo patitur, adeoque, inter cætera, etiam tenetur procurare, ut iterum admittatur, si fieri possit, uti cum aliis docent *Sanch.* n. 7. & *Lugo* n. 28. Quòd si post professionem vel vota emissa abduceret, teneretur etiam Monasterio compensare omnia damna temporalia & lucra cessantia, secundum spem & judicium prudentum, uti omnes notant cum *Lugo* n. 40.; neque potest abductus hanc obligationem remittere abducenti, quia jus Monasterii ipsius immediatè læsum est, abductus enim per votum paupertatis omnia jura sua transfulerat in Monasterium, *Sanch.* n. 17. *Lugo* n. 52. Et idem cum multis aliis dicunt *Less.* & *Lugo* n. 39. esse probabile de eo, qui vi vel fraude retraheret à Novitiatu, vel extraheret aliquem, quia Monasterium habebat jus, ne sic impediretur à consecutione boni, ergo erit obligatio huic compensandi ea, quæ obvenissent & erant per se connexa cum ingressu vel secutura professione illius; multò magis ea, quæ jam in animo suo destinaret dare vel promiserat conferre: *Sanch.* tamen n. 22. putat etiam probabile, quòd damna illa

non teneatur refarcire, quia Monasterium non habebat jus ad ea, nisi mediante professione abducti, hic autem necdum professus erat, & est valde contingens nolle profiteri, adeoque etiam valde remotum erat hoc damnum & nimis præter intentionem abducentis.

348

§. 4. Qui ita aliquem abduxit per vim vel fraudem, secundum *Suar. de Relig. t. 3. l. 5. c. 9. n. 10. Vasq. Less.* non tenetur saltem ea damna compensare, quæ sequuntur post sublatam vim & fraudem, quia tota injuria consistebat in vi vel fraude, ergo his sublatis damnum imputari debet, non abducenti sed abducto: quod verum est, inquit *Lugo n. 49.*, si revera tollatur non tantum vis & fraus, sed etiam eorum efficacia five causalitas, quod in praxi vix erit, nam vis vel fraus præterita causavit talem statum in abducto, in quo tepidior fit, capitur voluptatibus aut timet pœnitentiam, si redeat, aut saltem habet majorem difficultatem se dandi vel reddendi Religioni, ergo vis vel fraus manet causa damni etiam sequentis; unde sicuti revocans consilium, quo ostenderat motivum utile, ut fieret damnum, quamdiu movet hæc utilitas, manet obligatio restituendi, secundum dicta n. 28., & hic.

349

§. 5. Qui professum vel votis adstrictum sine vi aut fraude abducit, secundum *Mol: Vasq. Turr:* & alios adhuc tenetur Monasterio compensare damna temporalia inde secuta, quia Religio jam possidebat Religiosum, ergo si eo spoliatur, fit injuria: probabilius tamen id negant *Less. Sanch. Tann. Lugo n. 41. Illf. t. 4. d. 3. n. 59.*  
quia

quia Religio tantum habebat jus Jurisdictionis non autem proprietatis in ipsum : deinde quia causa principalis , qualis hic est ipse professus , non peccat contra justitiam , ergo nec consulens , qui tantum est causa secundaria. *Si dicas cum Mol.* professum etiam non peccare contra justitiam , licet ego vi vel fraude induxero , ut Religionem deserat , & tamen ego pecco contra justitiam ; *Contra* est , nam tum pecco contra justitiam , quia ego tanquam causa principalis violo aliud jus , quod habet professus , ne ita abducatur ; & Monasterium , ne per vim vel fraudem impediatur à consecutione sui emolumenti , tale autem jus non violat , nec professus abiens , nec ego sine vi vel fraude consulens.

§. 6. Obligatio restituendi pro abductione à Religione frequenter cessat vel ex toto vel saltem ex parte , quando defectus illius Religiosi abducti facile suppletur per alium æquè aptum & utilem , tum enim re ipsa non sequitur damnum , ita *Vasq. Less. Lugo n. 52.*

Q. 68. *Quid dicendum de illo , qui alterum falsa docuit.* R. §. 1. Non censetur gravis injuria alterum etiam per fraudem inducere in errorem intellectualem merè speculativum , quia tale no- eumentum communiter non æstimatur : Excipiunt *Sanch. in Conf. l. 1. c. 3. d. 4. à n. 10. Lugo d. 9. n. 4. Petsch. p. 241.* , nisi esset circa materiam notabilem aut Principium universale causativum multorum errorum , tum enim censetur quid grave in bonis intellectus : addunt graviter peccaturum Professore , qui scienter & passim doceret falsa : quid autem censendum



fit, si doceat minus probabilia, dicitur l. 4. n. 1545.

352 §. 2. Si error fit practicus, id est, inducens aliquod aliud malum præter errorem ipsum, erit injuria gravis vel levis, prout inducet alterum ad malum grave vel leve, uti rectè *Lugo* n. 2., & tum sequetur obligatio gravis aut levis mala illa avertendi aut compensandi damna, uti patet ex hæcenus dictis.

353 §. 3. Si Confessarius, Medicus, Advocatus, Professor inculpatè consuluit malum vel docuit falsum, ex quo damnum sequitur, secundùm *Arrag. & Salon.* compertâ veritate, etiam postquam dimiserit tale officium, tenebitur ex justitia corrigere errorem, & si negligat, compensare damna, quia tacendo esset causa efficax damni: *Nav. Cajet. Sanch.* dub. 5. n. 2. dicunt teneri tantùm ex Charitate, nam non obligat eum justitia ratione rei acceptæ, uti patet; nec ratione injustæ acceptionis seu actionis, quia actio positiva, quâ malum consuluit vel falsum docuit, non fuit formaliter injusta, actio autem negativa, quâ postea docet, etiam non videtur esse contra justitiam, secundùm dicta n. 41., quia jam ex officio vel contractu non tenetur loqui, cum officium & contractus cessaverint, unde sicuti si à fure dono accepissem vas aureum & donassem alteri, postea resciscens fuisse furtivum, non tenerer ex justitia id domino dicere, ita nec hîc: *Lugo* d. 8. n. 95. videtur tenere potius pro prima sententia, quia quisque, si commode possit, tenetur ex justitia procurare, ne ex sua operatione lædantur positivè jura aliorum, sicuti

ficuti si invincibiliter dedissem testimonium falsum cum damno aut infamia alterius, ex iustitia tenerer revocare, si possem absque gravi incommodo; Item si è manu mea casu ceciderit ignis in fœnum alienum, ex iustitia teneor extinguere, uti pluribus deducit idem *Lugo* d. 39. à n. 24. Et hæc sententia videtur probabilior.

§. 4. Si quis sine vi vel fraude, attamen ex negligentia vel ignorantia graviter culpabili docuerit falsum, unde secutum sit damnum alteri, si ille malè instructus abductus est à dando, quod ex iustitia dare debebat, v. g. persuasus est, ne restitueret, ad quod tamen ex iustitia tenebatur, qui sic malè instruxit, tenetur ex iustitia compensare damnum illud creditori defraudato, uti habet communis & satis certa sententia; si autem ille malè instructus non debebat ex iustitia, sed tantum ex charitate, v. g. in eleemosynam erat daturus, *Silvest.* dicit adhuc teneri restituere, quia damnum sequitur ex culpa malè docentis, qui ex iustitia vel contractu tenebatur bene docere *Sanch.* dub. 6. n. 3. negat teneri restituere, quia respectu pauperis non fecit injuriam, quamvis fecerit respectu malè instructi, quem obligabatur bene docere: *Lugo* n. 96. tenet cum *Silv.* ex hac ratione, quia qui agit ex negligentia graviter culpabili, plenè advertit periculum committendi fraudem & causandi damnum, nec tamen sufficienter cavet, ergo committit fraudem & culpabiliter causat damnum, quia peccatum commissum ex culpabili negligentia est eiusdem speciei cum peccato scienter commisso: nihilominus responderi potest pro *Sanch.* id tantum verum

esse respectu malè instructi, non autem respectu alterius, cui, malè docendo, non facit injuriam.

De restitutione pro iniuria facta per suspicionem aut indicium temerarium, per detractio- nem aut contumeliam, dicitur postea à n. 1238.

### D V B I V M VII.

#### *De circumstantiis restitutionis.*

355 Circumstantiæ restitutionis continentur his verbis,

*Quis, cui restituet, quid, quantum, quomodo, quando,*

*Ordine, quo ve loco; quæ causa excuset iniquum.*

De circumstantiis, quis, cui, quid, quantum, jam dictum est: restat agendum de reliquis.

### A R T I C U L U S I.

#### *Quo tempore, loco & modo debeat fieri restitutio.*

- » Resp. Debet quamprimum, & eo modo ac  
 » loco restitui, quo ius & interesse damnificati  
 » requirit, & commodè ac moraliter fieri potest;  
 » sine gravi incommodo, quod quis pateretur in  
 » re sua propria, ultra debitum. *V. Lay. l. 3. tract. 2.*  
 » *cap. 10. Fill. t. 32. c. 4. q. 11. Unde resolves,*  
 » I. Qui non potest commodè restituere apertè,  
 » faciat clam; & qui non potest per se, faciat per  
 » aliam

aliam personam interpositam, v.g. Confessariū.<sup>22</sup>

II. Possessor malæ fidei, v. g. fur, debet suis<sup>22</sup> sumptibus ad eum locum rem deferre, ubi alter<sup>22</sup> habiturus fuisset, si non fuisset ablata, destructa,<sup>22</sup> vel iniquè detenta; deductis tamen expensis,<sup>22</sup> quas alter eam servando, vel deferendo debuif<sup>22</sup> set facere. Excipe, nisi transferendo deberet<sup>22</sup> plus impendere, quàm res valet: tunc enim ple-<sup>22</sup> rumque ex præsumpta mente Domini posset re-<sup>22</sup> stituere pauperibus, vel in usus pios. *Bon. to. 2. d. 1.*<sup>22</sup>  
*q. un. p. 5.*<sup>22</sup>

III. Bonæ fidei possessor satisfacit, si restituat<sup>22</sup> in loco, ubi rem possidet.<sup>22</sup>

IV. Debita ex contractu, eo loco & tempore<sup>22</sup> solvi debent, de quo inter partem conventum<sup>22</sup> fuit expressè, vel tacitè. v. *Less. l. 2. c. 15. n. 53.*<sup>22</sup>  
*& Bon. l. c.*<sup>22</sup>

V. Si quis possit quàm primùm restituere to-<sup>22</sup> tum, ad id tenetur: Si tamen alter dilatione non<sup>22</sup> pateretur ulterius damnum, aut non notabile,<sup>22</sup> non facile arguendus esset gravis peccati is, qui<sup>22</sup> cū proposito satisfaciendi differret, aut paulatim<sup>22</sup> per partes solveret. *V. Bon. de contr. d. 1. q. 6. p. un.*<sup>22</sup>

VI. Qui scit se teneri ad restitutionem, & cùm<sup>22</sup> possit in vita, non vult restituere, nisi in articulo<sup>22</sup> mortis, vel post mortem per hæredes, absolvi<sup>22</sup> non debet, nec potest: quia semper est in actua-<sup>22</sup> li peccato, & impœnitens. *Sal. Snyr. Bon. Trull. l.*<sup>22</sup>  
*7. c. 14. d. 10. n. 12.*<sup>22</sup>

### A D D E N D A.

Q. 69. Quid præterea notandum sit circa tempus, 356  
quo fieri debet restitutio. *R. Seqq. §. 1.* Per se loquen-  
do, non esse mortale differre restitutionem ad  
breve

breve tempus dictum est p. 1. n. 1002. Quando-  
nam sit obligatio restituendi, si ex dilatione secu-  
ta sint damna, habet *Busenb.* hic, & aliqua addita  
sunt supra n. 252.

357 §. 2. Si debitor, cum possit, absque justa causa  
nolit totum restituere sed per partes, *S. Anton.*  
*Nav. Ang.* & alii apud *Castrop.* de *Just.* d. 1. p. 18.  
n. 1. dicunt Confessarium posse id permittere &  
absolvere; *Mol. Sot. Bonac. Castrop.* n. 2. *Dian.* p.  
2. t. 6. R. 5. *Lugo* d. 20. n. 214. *Ills.* t. 4. d. 3. n.  
235. rectè dicunt Confessarium posse quidem id  
permittere, quia est præsumpta voluntas domi-  
ni, ut, si debitor nolit aliter, saltem sic restituat;  
sed addunt non debere absolvi, quia vult conti-  
nuare iniuriam quoad partem, ad cuius solutio-  
nem differendam dominus manet invitus; & ita  
innuitur *L. Tutor, §. Lucius, ff. De usuris, & L. 3. ff.*  
*Familia erciscundæ*, quia certum est, inquit *Lugo* n.  
211., debita, præsertim ex delicto, esse statim  
solvenda, etiam si per partes sint contracta; acci-  
piendo *Tò statim*, non mathematicè sed moraliter,  
pro mora tam brevi, ut dominus credatur  
non fore rationabiliter invitus, est autem ratio-  
nabiliter invitus, si diu differatur etiam partis  
solutio, quia posset intervenire casus, impotentia,  
immutatio voluntatis, vel aliud periculum non  
recipiendi rem suam: atque ideo notant DD.  
communiter cum *Mol. Lugo, Tamb. Ills.* n. 231.,  
quia hæredes, præsertim Magnatum, negligentes  
esse solent in restitutione vel indaganda obliga-  
tione restituendi, si homines in periculo mortis  
constituti possint sine incommodo gravi resti-  
tuere, non esse absolvendos, si obligationem il-  
lam velint rejicere in hæredes, sic enim expo-  
nunt

nunt creditores periculo proximo iniustorum damnorum : si tamen esset periculum scandali vel infamiæ, aut alia gravis causa, differri posset restitutio post mortem facienda per alium, *Nav. Bonac. Lugo n. 212.*

§. 3. *Nav. & Sot.* dicunt eum, qui restituere non potest, teneri elicere propositum restituendi, quando poterit; sed hoc negant *Azor, Rebell.* alique communius, quia sufficit non habere voluntatem injustè retinendi; nec præceptum iustitiæ obligat ad tale propositum, sed tantum ad restitutionem, per quam solam positam habetur æqualitas : notat tamen rectè *Lugo n. 215.*, ut quis absolvi possit, debere habere tale propositum, saltem in confuso, quia debet habere propositum servandi omnia præcepta, inter quæ etiam est præceptum restituendi, quando poterit.

§. 4. Si tempus seu terminus ad solvendum sit præfixus in favorem debitoris, ut nempe non cogeretur citius, potest debitor cedere iuri suo & anticipare restitutionem, quam creditor tenebitur acceptare : si autem fuit præfixus in favorem creditoris, debitor non potest anticipare restitutionem, quia ageret contra ius creditori datum, *Bonac. de restit. d. 1. q. 6. Lugo n. 217.* alique : In utroque autem casu, quando debitor semper fuit paratus restituere, aut rem restituendam deposuit in præsentia testium apud Judicem vel alium tutum hominem, non tenetur compensare damna, si quæ ex dilatione sequantur, *L. Si soluturus 39. ff. De solutionibus, & L. Acceptam, Cod. De usuris.*

§. 5. Dilatio restitutionis incipit esse leviter vel graviter peccaminosa, prout minus vel magis  
exten-

extenditur ultra tempus debitum, debentque omnia damna per iniustam dilationem causata compensari, non aliter ac si res debita fuisset ex delicto: iustæ autem causæ differendi, & excusantes à compensatione damnorum secutorum sunt, 1. Si creditor ipse fit in mora, quia solutionem acceptare noluit aut procul discessit non constituto procuratore, qui solutionem admitteret: 2. Si possit opponi iusta exceptio, v. g. quia creditor ipsi vicissim debet & non solvit, L. *Sciendum*, ff. *De usuris*, L. *Quod te mihi* ff. *Si certum petatur*. 3. Si restitui non possit absque scandalo, infamia gravi, damno notabili &c. ut colligetur ex dicendis à n. 409.

361 Q. 70. *Quid addendum sit circa locum, quo fieri debet restitutio.* &c. Seqq. §. 1. Si dominus migrarit aliò, & plus expendisset rem illam tum deferendo secum, quàm iniquus detentor nunc expendat, ut remittat, *Rebell.* negat hunc posse sibi detrahere hunc excessum, quia non debet ex suo delicto lucrum reportare: *Bonac.* & alii affirmant posse, faventque *Vasq.* & *Dicast.* de restit. d. 11. n. 104., quia lucrum illud non est immediatè ex delicto, sed ex circumstantia loci: *Lugo* d. 20. n. 182. probabiliùs sic distinguit, si diminutio sumptuum proveniat ab industria detentoris, aut quia utitur occasione minùs carâ, quam alii communiter non habent, aut quia vicinior est loco, ubi dominus est, potest sibi retinere, quia non tenebatur peculiarem industriam adhibere, nec dominus jus habet lucrandi expensas aliò qui faciendas per viam ordinariam: si autem inde est, quia pretium traiectionis rerum, v. g. pretium cambiù vel vecturæ decrevit, debitor  
non

non potest lucrari, sed pretium illud decrefcit domino, qui cum nondum transfulerit rem suam, jam transfert meliori pretio, ficuti si valor rei ab iniquo detentore conservata creviffet, domino creviffet, quamvis factum efflet occasione iniquæ detentionis.

§. 2. Qui est debitor ex re accepta, vel omnino nescivit rem esse alienam, postea quando id cognoscit & vult restituere, potest expensas necessarias ad dominum monendum, aut prius necessarias ad rem aliò avehendam secum, ubi custodiretur, repetere à domino, vel ex re ipsa accipere, si dominus eas non solvat, sunt enim factæ in bonum domini, nec detentor sine sua culpa tenetur hoc damnum propter dominum subire, uti habet communis cum *7lls. t. 4. d. 3. n. 224.* Quòd si expensæ in transferendo valorem rei æquarent, dominus esset de hoc monendus per litteras: si tamen detentor culpabiliter differret restitutionem vel admonitionem domini, qui ideo, vel non absolutè, vel non nisi difficiliùs rem suam recipere posset, detentor inciperet esse debitor ex delicto, & tum teneretur ferre sumptus, quia facti non fuiffent à domino, si fuiffet res restituta vel dominus debito tempore admonitus, ita *Lugo* à n. 193.

§. 3. Si debeas aliquid ex re accepta, & remittas, sed pereat apud latorem, si creditor designarat latorem, aut si proprium servum miserat cum literis petitoriis, significabat se velle, ut ei dares, adeoque ad nihil teneberis, si res, quæ perit, fuerit domini siue tua, uti rectè *Lugo* d. 8. à n. 127., tunc enim censetur accepisse per designatum; etiamsi fortè loco designati veniret alius

362

363



alius fingens se designatum, si fraudem adverte-  
re non potuisti: si autem tradideras ex te, est di-  
stinguendum, nam si res sit domini, sive, si rem  
eandem in individuo remittas, quam accepisti,  
& absque tua culpa pereat, perit domino, nec ad  
aliquid teneris; si pereat eum culpa tua, viden-  
dum est, de qua tenearis juxta regulas datas à n.  
170. E contra si res; quam remiseras, non sit ea-  
dem numero, sed alia ejusdem valoris, quam tu  
substitueras, & in via pereat, perit domino, id  
est, tibi remittenti, quia creditor necdum acqui-  
siverat illius dominium, res autem, quæ sine cu-  
jusquam culpa perit, domino perit: Si tamen  
pecuniam depositam per mixtionem feceras tu-  
am, & postea summam creditoris collegeras in  
sacculum servandam ei & remittendam, sicque  
tradideris latori, & de via pereat, putat *Lugo* n.  
129. perire creditori, quia reducta erat in eum  
statum, in quo antea erat, quando fuit sub domi-  
nio creditoris, ergo & nunc censi debet sub  
ejus dominio fuisse.

364 §. 4. Si debeas ex delicto, & remittas per la-  
torem designatum à domino, qui ita velit rem  
suam recipere, si apud hunc pereat, perit do-  
mino, uti constat ex dictis: si autem hunc lato-  
rem non designarit, sed tu elegeris, hic autem  
non restituat, aut etiam sine culpa amittat, ad-  
huc teneberis restituere ex vi iniustæ acceptionis  
præteritæ, non aliter ac si res casu apud te pe-  
riisset, quia teneris dominum efficaciter redde-  
re indemnem, & hoc ipsius damnum sequeretur  
ex tua iniuria, *Ills. t. 4. d. 3. n. 305.* cum com-  
muni.

In quo loco restituendæ sint vel solvendæ res  
debitæ

debitæ ex contractu, & per quos Judices possit quis ad hoc cogi, præter regulam generalem, quam dat *Busenb.* suprâ, videri possunt *Lugo* à n. 196. & *Ills.* à n. 225. Ad quid autem teneatur, qui rem restituendam commiserat Confessario, si hic non restituat, dicitur à n. 420.

Q. 71. Cum quantis impensis teneatur debitor ex delicto restituere. *Bl.* §. 1. De hoc variæ sunt sententiæ, quas refert *Lugo* d. 20. l. 8. §. 1. *Cajet. Nav. Med. Arnil. Covarr. Vasq.* & alii dicunt teneri semper cum quocumque damno; consentit *Dicast.* de restit. d. 11. n. 100., si res sit magni momenti, quia creditor habet ius ad rem suam, & debitor debet malitiæ suæ imputare, quòd sine tanto damno nequeat restituere: è contrà non teneri dicunt *Ang. & Almain.*, si debitum non sit tanti momenti, & restitui non possit sine magno damno: *Scot. Gabr. Rich.* dicunt non teneri restituere, qualecumque sit debitum, si sumptus fieri deberent majores, quàm sit debitum; id admittunt *Mol. Tamb. Sporer* t. 4. c. 3. n. 162. *Petsch.* pag. 675., si longè majores sumptus essent faciendi; addit *Silvest.* si deberent æquè magni fieri, quod *Petsch.* dicit esse probabile; *Less.* si res sit parvi momenti & sine sumptu duplo vel triplo majori non possit restitui, consentit *Dicast.* n. 101., si saltem triplo plus deberet impendi; è contrà si sit res magni momenti, *Less.* dicit tum differri posse restitutionem, si sit spes imminuendorum sumptuum: Ratio horum omnium est, quia justitia non adversatur charitati, charitas autem videtur dictare, quòd creditor rationabiliter non postulet restitutionem in tanto rigore & cum damno duplo, triplo, decuplo

&c., nemo enim vellet hoc sibi fieri. *Haun. t. 2. n. 392.* dicit, si sumptus quadruplo non excedant debitum, illos esse faciendos pro restitutione, quia Jura puniunt furem in quadruplum, ergo non videtur iniquum, si natura tantundem exigat pro indemnitate creditoris innocentis; verum hæc ratio nimium probat, nam Jura etiam morte puniunt furtum, ergo etiam cum jactura vitæ esset obligatio restituendi, quod nemo dicit.

366 §. 2. In hac quæstione rectè statuitur hæc regula generalis: Ut sciri possit, cum quanto damno restituere teneatur debitor ex delicto, perpendi debet, an creditor hic & nunc sit vel non sit rationabiliter invitus ad omissionem vel dilationem restitutionis: hoc autem colligi debet, partim ex communi sensu hominum, partim etiam inde, si attendatur, quid homines vi voluntatis generalis intendentes bonum commune statuissent ante omnem casum eventualem.

367 §. 3. Secundum hanc regulam videntur sequentia in particulari dici posse, 1. Si damnum sit causatum per iniuriam tantum venialem, & expensæ necessariæ ad restituendum adæquarent quantitatem requisitam ad mortale, non est obligatio restituendi, id enim videtur irrationabile, tam improporcionatam quasi pœnam exigere, *Ills. t. 4. d. 3. n. 222.*

368 2. Quamvis damnum causatum sit per injuriam gravem, tamen non semper est obligatio restituendi cum quocumque damno, si enim furatus sim 10. aureos, creditor videtur irrationabiliter velle, ut restituam, etiam cum damno 10000. aureorum, *Haun. n. 391.* cum communi.

3. Si

3. Si damnum sit tantum semel majus quam summa restituenda, debitor ex delicto tenetur; v. g. si abstulit 100, tenetur restituere, quamvis ideo deberet impendere alios 100 è suis, æquum enim est, ut ille potius, qui injuriam fecit, quam ut innocens patiatur damnum centenorum, *Vasq. Lugo, flls. aliiq. communiter.*

4. Adhuc tenetur, si damnum non sit duplo majus quam debitum, quia cum debitor sit nocens & creditor innocens, saltem duplo major causa requiritur ad absolvendum debitorem quam ad privandum re suâ creditorem, *Lugo n. 190.*

5. Si damnum esset quadruplo majus debito, non videtur teneri, quia licet jura puniant furtum in quadruplum, & restitutio sit veluti pœna, tamen est pœna mitior, cum reus debeat illam in se ferre & exequi, uti rectè *Lugo*, ergo si damnum quadruplo superet debitum, non videtur jure naturæ ad illud esse obligatio.

6. Si damnum debitoris esset notabiliter majus, quam futurum esset commodum creditoris ex restitutione, potest hæc tantisper differri, uti dicitur n. 424. An autem fit obligatio compensandi omne damnum inde creditori ortum, dictum est n. 252.

7. Si res, quæ in se restitui non potest nisi cum maximis sumptibus, ( : uti si equus deberet ad dominum remitti in Hungariam : ) possit hic vendi, & sine magnis sumptibus mitti pretium, prudenter præsumitur, quòd dominus consentiat, ut ita fiat.

8. Si propter nimium damnum nequeat restitui totum, possit autem cum minori damno

Q<sub>2</sub>

restit-

restitui pars, hæc est restituenda, nisi expensæ essent etiam proportionatè ad hanc partem nimiam.

372 9. Quamvis injustus detentor propter nimium damnum excusetur à restitutione immediata domino facienda, tenetur tamen, etiam de jure naturæ, uti rectè *Lugo* n. 191., rem, lucra & damna mediatè restituere, videlicet dando amicis domini, si prudenter præsumatur esse illius voluntas, uti ex *Less.* notat *Sporer* n. 160., vel saltem pauperibus aut aliis piis causis, quia præsumitur esse voluntas domini, ut sic saltem animæ suæ profit.

373 10. Pro definienda magnitudine damni tam creditoris quàm debitoris, damnum utriusque non est pensandum præcisè materialiter & absolute, sed formaliter & comparative ad subiectum, uti rectè *Lugo*, *Haun.* *¶* *lls.* n. 223., fieri enim potest, ut damnum 100. aureorum sit respectu debitoris pauperis longè majus, quàm damnum 1000. aureorum respectu creditoris divitis, & vice versâ, eò quòd unus per jacturam centenorum sit conjiciendus in miserio rem statum, quàm alter per jacturam millenorum: & hoc in omnibus hætenus dictis est observandum.

De damno excusante à restitutione plura addemus à n. 424.

## ARTICULUS II.

*Quo ordine restitui debeat.*

Resp. Certum est, non necessariò ordinem 374  
servari, quando debitor omnibus solvere po-  
test: quando verò tantum non habet aut hære  
dibus reliquit, sequentes Regulæ servandæ:

I. Si debitor rem alterius apud se habet, quo-  
cunque titulo habeat, sive ex furto, sive ex de-  
posito, sive inventionem, &c. debet priùs restitui  
domino suo, vel eo deficiente, pauperibus. Si-  
militer si res empta ad creditum, pretio non so-  
luto adhuc extet, *Nav. man. c. 17. n. 49. Syl. Bon. q. 8. p. 2.* Hoc tamen *Less. l. 2. c. 15. n. 11.* contra  
*Bon. &c.* limitat, nisi venditor ab emptore fide-  
jussorem, vel pignus accepit.

II. Si restitutio facienda ratione injustæ actio-  
nis, priùs restitui debent certa, hoc est, quorum  
domini cognoscuntur, quàm incerta. *Bon. Less. ibid. d. 1.* quia illa jure naturæ debentur suis do-  
minis; hæc autem jure solo positivo pauperi-  
bus.

III. Priùs facienda est restitutio debitorum  
licitè contractorum, quàm usurarum, cum in  
his dominus non fuerit simpliciter invitus.

IV. Debita ex titulo oneroso priùs solvenda  
sunt, quàm quæ debentur gratuito, v. g. ex pro-  
missione; quia hæc includunt tacitam conditio-  
nem, nisi quid obstat. Hinc debita defuncti sol-  
venda sunt ante omnia legata, etiam pia, *Nav. n. 50. Sylv. Bon. l. c.*

Q-3

V. In

- » V. In reliquis debitis servandum est jus par-  
 »ticulare loci, si tale sit, & non repugnet juri na-  
 »turæ: Si nullum sit, sequendum est jus commu-  
 »ne, secundum quod 1. Solvenda sunt debita, ad  
 »quæ bona debitorum expressè fuerunt obliga-  
 »ta. 2. Dos uxoris extrahenda est. 3. Debita, ad  
 »quæ bona debitorum sunt tacitè hypothecata,  
 »4. Deposita perdita in potestate debitorum, 5.  
 »Debita privilegiatorum, 6. Aliorum credito-  
 »rum: post quos omnes sunt hi, à quibus usura  
 »acceptæ sunt; & adhuc post hos restituenda sunt  
 »bona incerta. Quando autem multi unius ratio-  
 »nis creditores inveniuntur, temporis antiquitas  
 »inter eos servanda est. *V. Laym. l. 3. tr. 2. c. 11.*  
 »ubi addit, ex bonis debitoris, si is defunctus sit,  
 »imprimis solvendas esse impensas funeris, &  
 »quæ ad confectionem inventarii, apertionem  
 »testamenti; item Medicos & Pharmacopolas  
 »pertinent. *Vide Fill. t. 32. n. 119.*  
 » *Quæres.* Utrum prius exigenti non liceat pri-  
 »us solvere.  
 » *Resp.* I. Solvens scienter posteriori, præterito,  
 »qui habet hypothecam priorem vel privilegia-  
 »tam, peccat, teneturque priori de damno, qui  
 »etiam potest recuperare solutum, *Less. d. 5. ex*  
 »*l. Scimus §. Etsi præterea C. De jure delib.*  
 » II. Si ex pluribus creditoribus personalibus  
 »æqualibus aliquis exigit (sive in judicio, sive ex-  
 »tra) tenetur ei integrum solvere; quia diligen-  
 »tia fecit eum potioem. *Nav. man. c. 17. n. 52.*  
 »*Syl. Bon. l. c. ex L. Pupillus ff. Quæ in fraudem.*  
 » III. Debitor sciens statum suum labentem,  
 »non potest nihil petenti integrè satisfacere, sed  
 »debet omnibus personalibus solvere pro rata  
 (fi

(si tamen iste solutionem accepisset, an possit  
retinere, controvertitur. *V. Bon. Less. n. 40. Trull. 30*  
*l. 7. c. 14. d. 12. num. 8.*) nec potest uni solvere,  
omissis aliis, nisi secundum ordinem supra-  
dictum.

## A D D E N D A.

Q. 72. An res furtiva propriis immixta, prius re- 375  
stitui debeat. *R.* Affirmant probabiliter *Rebel. &*  
*Castrop. tr. 32. d. 1. p. 18. §. 13.*, quia totus cu-  
mulus, ad quem venit res furtiva, ob hanc vide-  
tur obligatus domino rei. *Nec obstat*, quod v. g.  
pecuniæ furtivæ meis immixtæ transeant in do-  
minium meum, nam manent facilè separabiles,  
hinc quæcumque pecuniæ è cumulo extrahentur  
pro restitutione facienda domino, censentur  
esse moraliter pecuniæ domini: favetque huic  
sententiæ illud, quod n. 363. in fine attulimus  
ex *Lugone*.

Q. 73. Si res sit vendita & tradita, an venditor 376  
aliis creditoribus sit præferendus quoad rem illam ad-  
huc existentem. *R.* Affirmat *Busenb. supra*, sed di-  
stinguendum est, uti intelligetur ex dicendis n.  
974.

Q. 74. An debita certa semper præferri debeant 377  
incertis. *R.* Communis sententia affirmat, quam  
*Azor l. 4. c. 36. vocat omnium*, pro qua *Lugo d.*  
*20. n. 5. refert multas rationes*, sed easdem com-  
modè solvit, dans hanc unicam, quia creditor  
incertus præsumitur velle, ut potius solvatur  
creditoribus certis, qui debitorem premunt,  
sicque satisfaciatur justitiæ, quàm ut satisfaciatur re-  
ligioni, dando rem incertam pauperibus; Aliam  
rationem dat *U. t. 4. d. 3. n. 193.*, quia restitu-

Q 4

tio



tio debiti certi est certò debita, non autem ita certò debita est restitutio debiti incerti. Oppositum tenent *Mol. & Petsch.* p. 663., quorum sententiam *Lugo* vocat probabilissimam, non enim est sufficiens fundamentum in jure naturæ vel positivo, cur id fieri debeat, & sæpe occurrere possunt circumstantiæ, ob quas creditor incertus præsumatur velle præferri debita incerta, ut ostendit *Lugo* n. 6., v. g. si debitum creditoris certi sit ex contractu gratuito vel illicito, præsumitur creditor incertus velle huic præferri debitum ex contractu oneroso & licito, ut nempe illud applicetur piæ causæ, vel pauperibus, in bonum animæ suæ; & in hoc consentit etiam *Jlls.* n. 192.

378 *Q. 75. An unum debitum onerosum possit præferri alteri.* *R.* Probabiliter affirmat *Lugo* d. 20. n. 144., nam si emisti à Caio, sed ille rem emptam nondum tradidit, illi videris minùs obligari, quàm illi, à quo emisti & qui simul rem tradidit, aut quàm alii cuicumque, qui ex parte sua fecit, quod debuit, hi enim te obligarunt, non tantum promisso, sed etiam merce vel pretio dato.

379 *Q. 76. An debita ex delicto præferri debeant debitis ex contractu.* *R.* *S. Th. S. Anton. Rebell.* & alii absolutè affirmant, quia creditor in illis est magis invitus, ita quidem, ut debeat priùs solvi debitum ex delicto graviore, & postea debitum ex delicto leviori, v. g. priùs ex rapina, tum ex furto, tum ex usura, tum ex alio iniusto contractu: rationem dant, quia priùs recedendum est à graviore delicto quàm à levio. Consentunt *J. Med. Ang. & Salon.*, si omnia delicta sint personalia

nalia nullam habentia hypothecam realem ,  
 quorum sententiam *Less.* l. 2. c. 15. n. 14. dicit  
 non esse improbabilem. Econtra *Cai. B. Med.*  
*Arm. & Tabien.* dicunt debita ex justo contractu  
 esse præferenda debitis ex delicto , sed hæc sen-  
 tentia non affert rationem magni momenti , uti  
 ostendit *Lugo* d. 20. à n. 34. , hinc n. 36. conclu-  
 dit cum *Silvest. P. Nav. Mol. Vasq. Less. Bann. Ar-*  
*rag. Az. Turr. Regin. Bonac. Tann. Castrop. Haun.*  
*Herinx de Just.* d. 6. n. 101. *Petsch.* p. 664. *¶*lls.  
 t. 4. d. 3. n. 214. aliisque communiter , non esse  
 necessario servandum ordinem inter illa debita  
 ex delicto vel contractu , neque inter debita ex  
 delicto majore aut minore , nam licet dominus  
 in debitis ex delicto forte sit magis invitus ex  
 parte subjecti , tamen obligatio justitiæ non ori-  
 tur ex illa maiori vel minori repugnantia , quam  
 dominus ex parte subjecti habet , sed ex illa , quæ  
 in objecto fundatur , ergo si uterque velit reti-  
 nere totum jus suum , & obligare quantum po-  
 test , omnia debita gravia ex parte objecti sunt  
 æqualia & consistunt in indivisibili : unde quam-  
 vis rapina in fieri sit gravius peccatum quàm  
 furtum , propter majorem iniuriam , quæ et-  
 iam personæ immediatè infertur , tamen in  
 facto esse , seu post factum , non magis est con-  
 tra justitiam retinere acceptum per rapinam  
 quàm acceptum per furtum , si tam rapina quàm  
 furtum non amplius placeat , quia injuria tran-  
 sivit , nec pro ea , prout contra-distincta à damno ,  
 debet aliquid restitui , postea verò solùm perse-  
 verat damnum quoad carentiam rei suæ , quod  
 damnum æquale est in utriusque debiti reten-  
 tione.

Q. 5

Q. 77.

380 Q. 77. *Quis præferri debeat, si debita sint contracta, quando erat impotentia solvendi.* R. §. 1. Supponenda sunt aliqua, 1. Est injuria, si quis supra vires suorum bonorum gerat statum, uti insinuatum est n. 17., qui enim bona ita obligata, ut vires eorum adæquentur, ulterius obligat, facit in præjudicium priorum creditorum: idem est, si tum, quando est impotens omnibus solvere, bona sua uni certo è creditoribus obliget, uti rectè *Less.* in auct. v. *Mutuum*, cas. 5. & *Lugo* d. 20. n. 106. Si tamen non posset juxta suum statum absque magno dedecore abstinere à talibus sumptibus aut etiam à donationibus gratuitis, *Lugo* dicit licitè ab hoc fieri & ab aliis acceptari: quòd si acceptatio non esset necessaria ad salvandum honorem, sed satis esset obtulisse; item si quis ab eo petiisset & positâ petitione debitor non posset non donare, putat *Lugo* n. 134. talem acceptantem vel petentem non esse injustum contra creditores, nec teneri restituere, nam creditores in tantum habent jus contra illos, in quantum habent jus contra debitorem, & ideo contra acceptantem aut petentem, ne illum à solutione impediunt, sed positâ illâ conditione & in illis circumstantiis creditores non habent jus contra debitorem, ne ita expendat, ergo nec contra acceptantem vel petentem, hi enim utuntur jure suo & ponunt casum, in quo debitor non tenetur solvere suis creditoribus; Opositum videtur probabilius, quia creditores habent jus, ne ponatur talis conditio vel circumstantia, per quam debitor reddatur impotens solvere, hoc autem facit talis acceptans vel petens: unde multò magis est injuria etiam contra

tra

tra creditores, si debitorem per ruborem vel irrisionem cogas ad donandum tibi, aut ad sumptus faciendos, quia hoc non faciet liberè sed coactè.

2. Si Cajus conscius suæ impotentia bona sua <sup>381</sup> necdum obligata obliget vel extradat Titio etiam conscio illius impotentia, docent *Sot.* & alii Cajum & Titium peccare contra justitiam, & contractum illum esse invalidum, nec transferri dominium: *Caiet. Mol. & Lugo* n. 112. dicunt contractum quidem esse validum & dominium transferri, uti si rem Petro venditam & nondum traditam venderet & traderet Paulo; Titius tamen tenebitur ad restitutionem & ad resarcienda creditoribus damna, si Caium incitarit ad talem contractum iniustum; si autem ad id non incitarit, secundum *Mol. & Less.* non tenetur de jure naturæ, quia tantum usus est peccato alterius ad suum commodum, uti mutuans utitur peccato usurarii; imò putat *Mol.* non peccare contra charitatem, *Lugo* autem, quamvis agnoscat sententiam *Mol.* esse probabilem, tamen putat cum communi probabilius esse, quòd Titius peccarit contra justitiam & teneatur ad restitutionem, quamvis Caium non induxerit ad dandum vel contrahendum, quia determinatè cooperatur iniusto impedimento, quo Caius reddit solutionem sibi impossibilem, unde damnum creditorum æquè sequitur, atque si induceret, ergo est injustus, non aliter atque ille, qui furi applicat scalas, aut juvat volentem comburere segetes alienas.

3. Si Caius impotens solvere, jam anteceden- <sup>382</sup> ter statuisset non solvere, putat *Less.* eum, qui novam

novam ab eo admittit obligationem, non teneri restituere, quamvis incitasset ad contractum, dummodo retinuerit voluntatem restituendi, si Caius mutatâ voluntate vellet solvere, sed *Lugo* n. 118. iterum contradicit, quia sic incitans re ipsâ in effectu complet damnificationem, quæ tantum erat in affectu Caji statuentis non solvere: admittit tamen *Lugo* cum *Lessio* Titium incitantem tum non teneri, si impotentia illa non esset causa defraudationis creditorum, uti v. g. si Caius laborando facile posset lucrari, quo solveret, tum enim, si non solvat, non est ideo, quia alienavit sua, sed quia est negligens, imò de tali potius dicendum est, quòd non sit in impotentia solvendi, uti rectè *Lugo*.

383 4. Quidquid sit de iure naturæ, tamen de iure positivo, si alienatio est facta in fraudem creditorum, datur actio creditoribus solum intra annum à notitia facti, quâ actione contractus rescinditur, debetque res restitui debitori, etiam non restituto pretio, nisi quatenus existat, vel debitor ex illo factus est ditior: si tamen res transfisset ad tertium possessorem bonæ fidei, contra hunc non datur actio, sed contra priorem, sicuti contra eum daretur actio, quamvis consumpsisset.

384 5. Qui potest habere, unde solvat, & repudiat acceptare, est iniustus, uti dicitur n. 428. Quòd si talis debitor iniuste repudiasset, v. g. hæreditatem, quâ admisâ solvere potuisset, succedens in hæreditate illa, si induxerit ad repudiandum, tenebitur restituere creditoribus velut iniustus cooperator: si autem non est cooperatus, ad nihil tenetur ex iustitia, quia positâ repudia-

pu diatione utitur iure suo, ita *Sanch.* de Matr. l. 6. d. 4. n. 9. *Lugo* n. 138., adde n. 139. teneri ex charitate ad impediendam repudiationem, antequam fiat, quia per eam peccat debitor & nocet creditoribus. His suppositis.

§. 2. Si Titius contraxit cum Caio, quando Caius erat potens, etiam si postea ante traditionem fieret impotens, poterit Titius rem, de qua fuerat contractum, ab eo accipere, sicut alii creditores, servato tamen ordine creditorum & proportione quoad solutionem: è contra si tempore contractus Caius erat impotens, sed tempore, quo solvit rem, sit potens; aut si tempore, quo contraxit, & rem tradit, fuit impotens, sed tempore intermedio fuit potens, peccat quidem Caius sic contrahendo cum cognitione impotentiae, postea tamen non peccat Titius accipiens rem, nec tenetur restituere, quia quando aderat potentia, justificabatur contractus, ita *Vasq.* *Lugo* n. 120.

§. 3. Secundum *Vasq.*, illa debita, non tantum de praesenti, sed etiam postea, ante alia solvi possunt, etiam cum prauiudicio priorum creditorum, etiam hypothecatorum & privilegiatorum, quae sunt facta in tali necessitate, ob quam licite poterat differri vel omitti restitutio aut solutio aliorum debitorum: Sed *Lugo* n. 122. fuse contradicit, alioquin quisquis alicui supra potentiam gravato mutuasset aut vendidisset necessaria ad vitam & statum, deberet omnibus praeferi, & qui ultimus esset, deberet praeferi omnibus prioribus, quod est contra praxin, & in nullo foro admitteretur: de praesenti autem solvi possunt, quia debitor potest se tum praefere credito-

ditoribus ad occurrendum ei necessitati, si autem de præfenti non solverit, postea non habet jus præferendi hunc creditorem aliis: Vide dicenda n. 407.

387 §. 4. Uxor, filii & famuli necessarii possunt vivere & de præfenti solutionem acceptare ex bonis domini non potentis solvere creditoribus, quia dominus debet illis alimenta, nec aliter subsistere potest, unde creditores essent irrationaliter invitati quoad dilationem solutionis. Addit *Laym.* l. 3. t. 2. c. 11. n. 3. & 7. item *745. n.* 217. mercedes operariorum ad necessarios usus conductorum præferri etiam hypothecatis debitis, quia debita ejusmodi mercedum contrahuntur, non in fraudem, sed ad utilitatem creditorum, ut debitor fiat potens solvere, & alioquin nemo talibus debitoribus ære alieno gravatis ferviret: hinc cum communi dicunt etiam rectè præferri solutionem rei emptæ, si debitor non ideo reddatur magis impotens, quia restitutio fieri poterit ex re emptæ vel ex utilitate majore, quæ debitori inde accesserit.

388 Q. 78. Quid notandum sit circa debita hypothecata vel privilegiata. R. Si quoad utraque consulatur Theologus vel Confessarius, non resolvat ex tempore, sed potius remittat ad Juristas, aut consulat Auctores, nam plurima hæc pendent à jure positivo & legibus particularibus vel consuetudine certorum locorum; universaliter tamen notari possunt sequentia:

§. 1. Hypotheca dicitur, quando debitor non solum suam personam, sed etiam rem aliquam suam immobilem obligat pro debito, (si enim exponat mobilem, vocatur pignus) &  
tum

tum creditor habet actionem, non tantum contra personam debitoris, sed etiam in rem sibi obligatam, quæ obligationem illam semper secum defert.

§. 2. Hypotheca variè dividitur, alia enim 389  
est expressa, alia tacita; expressa est, si debitor expressè rem obliget: tacita, quando neutro mentionem faciente res aliqua ex dispositione juris positivi obligatur pro certo debito, uti v.g. pro pecunia mutuò data militi ad arma emenda & similibus, de quibus *Lugo* d. 20. f. 4. §. 1. Item pro dote promissa marito, jus voluit obligari bona militis aut illius, qui dotem promisit, quamvis de eo nihil dixerint. Hypotheca iterum alia est generalis alia specialis; generalis est, quæ obligantur omnia bona præsentia & futura: specialis, quæ obligatur bonum aliquod particulare, v.g. hoc prædium: & de his possunt plura videri apud *Mol.* d. 536. & *Less.* l. 2. c. 28. à n. 34.

§. 3. Debitum hypothecatum sive reale præ- 390  
fertur personali, quamvis hoc fuisset antè, *L. Eos qui, Cod. Qui potiores in pignore*, Ratio est, 1. quia hypothecæ ideo dantur, ut debita magis affecurentur & solutio sit certior: 2. Quia per hypothecam non solus debitor, sed etiam res est obligata, & quasi inchoativè facta est creditoris, ergo sicuti dominus rei præferendus est aliis creditoribus, ita & creditor cum hypotheca.

§. 4. Inter creditores hypothecarios ii præ- 391  
ferendi sunt, qui sunt priores, hinc enim valet *Reg. 54. Juris in 6.*, *Qui prior est tempore, potior est jure*: Ratio est, quia res jam inchoativè facta est creditoris, ergo sine ejus voluntate non potest in alterius jus transire: *Nec refert, quòd fortè tradita*



dita sit secundo creditori, nam res ad eum transit cum onere seu obligatione ad priorem, uti ex Jure ostendit *Lugo* n. 62.

- 392 §. 5. Creditores cum antecedente hypotheca tacita præferri debent creditoribus cum posteriore hypotheca, etiam expressa, ita *Mol. Vasq. Lugo* n. 41. *Jlls.* t. 4. d. 3. n. 199. aliique communiùs contra *Nav. Silv. Ang.* Ratio est, quia res non minùs est obligata per legem & ex priorè dispositione juris, quàm ex voluntate consentientis aut ex dispositione posteriore: multæ tamen sunt exceptiones, uti si prior fuerit conditionata, posterior absoluta &c., de quibus videri potest *Lugo* §. 2.
- 393 §. 6. Hypotheca generalis prior præferitur speciali posteriori, nisi prior generalis habuisset adjunctam specialem etiam sufficientem ad debitum, & posterior obligaret aliqua alia bona, tum enim satis innueretur solam obligationem specialem esse potissimùm attendendam.
- 394 §. 7. Quando bona debitoris auctoritate publicâ distrahantur, vel res hypothecata cum scitu & consensu prioris creditoris venditur, alienatur, in dotem datur aut alteri obligatur, prior creditor amittit jus prælationis saltem respectu hujus, cui permittit ultimò obligari, nisi moneatur de sua prælatione, & protestetur de servando jure suo, uti adductis Legibus latè probat *Mol.* d. 536. & 537. Videri potest etiam *Petsch.* à p. 669.
- 395 §. 8. Creditor privilegiatus, quamvis sit posterior, præferri debet non privilegiatis, etiam hypothecatis, uti ostendit *Lugo* §. 5., & tenent omnes communiter; unde sequentia debita tanquam privilegiata præferuntur.

1. Hypotheca fisci respectu bonorum, pro 396  
quibus data est, si fuerint acquisita post contra-  
ctum cum fisco initum, L. *Si qui*, 28. ff. *De jure*  
*fisci*.

2. Mutuum ad extructionem aut emptionem 397  
rei, si hæc res in hypothecam assignetur, L. *Licer*,  
Cod. *Qui potiores in pignore*: item ad conservatio-  
nem aut restaurationem rei, sive generaliter sive  
specialiter hypothecatae, L. *Interdum*, & L. *Hu-*  
*jus*, ff. *ibid*. Item datum à tutore nomine pupilli  
seu impuberis ad emptionem prædij, etiamsi  
non paciscatur in hypothecam, L. *Denique*, ff.  
*ibid*. Item datum pro causa militiæ, v. g. pro sol-  
vendis stipendiis, reservatâ sibi per instrumen-  
tum testibus subscriptum hypothecâ, *Novella*  
97. c. 4.

3. Recuperatio dotis pro uxore aut eius hæ- 398  
redibus necessariis, *Mol.* d. 572. n. 16. *Castrop.* tr.  
32. d. 1. p. 17. §. 7. n. 15. *ff.* à n. 200. & habetur  
L. *Affiduis*. Cod. *Qui potiores in pignore*.

4. Expensæ ad funus, non tantum debitoris, 399  
sed etiam alterius, cujus funus procurare debet  
debitor; item pro infirmitate, medicinis, testa-  
mento, inventario, solvendæ sunt ante omnia  
alia debita hypothecata & privilegiata, L. *penult.*  
ff. *De Religiosis & sumptibus funerum*, docentque  
omnes communiter cum *ff.* n. 198. & 213. Vi-  
deri potest etiam *Bonac.* de Rest. d. 1. q. 6.

§. 9. Constitutio hypothecæ per publicum 400  
instrumentum ob præsumptionem fraudis præ-  
fertur factæ sine aut cum instrumento tantum  
privato, L. *Scripturas*, Cod: *Qui potiores in pigno-*  
*re*: potestque videri *Castrop.* n. 27. Similiter con-  
stitutio hypothecæ in contractu oneroso præfer-

tur hypothecæ in contractu gratuito, quia debita onerosa etiam præferuntur gratuitis.

401 §. 10. Hypothecarii privilegiati habent se ad invicem, sicuti ad invicem se habent non privilegiati, hinc prior tempore est potior jure &c., communis cum *ffs.* à n. 210,, qui n. 211. rectè notat cum *Castrop. Lugo, Haun. & aliis contra Vasq.*, eum, qui rem à se venditam sibi constituit in hypothecam, respectu illius rei præferri debere absolutè omnibus aliis creditoribus, potuit enim sub tali conditione & reservatione vendere, ut si certo tempore non solveretur pretium, res ad ipsum rediret.

402 §. 11. Post creditores hypothecarios veniunt chirographarii, inter quos, uti refert *ffs.* n. 213., privilegiati sunt, 1. Qui pecunias aut alia deposuit apud aliquem publicâ auctoritate constitutum, *L. Si ventri, §. In bonis, ff. De privilegiis creditorum, & L. Si hominem, §. Quoties, ff. De depositis.* 2. Respublica creditrix, *L. Bonis venditis, ff. De privileg. credit.* 3. Pupillus contra debitorem ex auctoritate gerentem ejus negotia, *L. Si negotium, ff. ibid.* 4. Sponsa repetens æstimationem dotis absumptæ non secuto matrimonio, *L. Quæsitum, ff. ibid.* 5. Mutuans in solutionem creditoris personalis privilegiati, *L. Si ventri, supra §. ult.*

403 Q. 79. An etiam inter creditores merè personales tenenda sit Regula 54. *Furis in 6, Qui prior est tempore, potior est jure.* R. Negant *S. Anton. Silv. Ang. Nav. Bann. Arrag. Laym. Mol. Az. Vasq. Less. Turr. Regin. Castrop. Bonac. Herinx, ffs. t. 4. d. 3. n. 215.* & recentiores communiter, teste *Lugo d. 20. n. 146.*, videturque expressè ita definiti in jure civili, quod passim allegant; unde regulam

gulam illam juris in 6. explicant de habentibus titulum realis obligationis: è contrà *S. Th. Gabr. Med. Maj. Valent. Sa, Suar. Salon. Tolet. Rebel. &* alii affirmant cum *Lugo*, dicente jus civile in hoc esse correctum à Canonico: Ratio est, quia prioritas temporis dat prælationem, non tantum habenti jus in re, sed etiam tantum habenti jus personale & ad rem, uti patet, si plures emerint eandem rem, si eadem puella sponderit pluribus, nam tempore prior præfertur; cujus ratio est, quia prior tempore obligaverat sibi debitorem ad hoc dandum, idem autem est de debito alio. *Nec refert*, quòd in emptione obligaverit se ad aliquid determinatè, nam licet se obligasset indeterminatè ad hoc vel illud, si hoc perisset, teneretur determinatè illud dare primo emptori, ergo cum etiam sic obligarit hæc vel illa bona, omnia sub disjunctione sunt obligata priori: & si hoc valet spectato jure naturæ in debitis realibus, valet etiam in personalibus; sic enim si meam personam heri obligarim *Cajo* & hodie obligem *Titio* ad cras laborandum, tenetur cras laborare *Cajo* & non *Titio*; Ratio à priori est, quia quando se priori obligabat, etiam se simul obligabat ad removenda omnia impedimenta hujus solutionis, inter quæ esset obligatio sequens respectu alterius.

*Q. 80. An inter creditores mere personales possit 404*  
*aliis præferri, qui prius petit, vel qui est amicus debito-*  
*ris. R. §. 1. Totum debere solvi prius petenti*  
*docent plures, quos sequitur Busenb. Laym. ff.*  
*t. 4. d. 3. n. 219., quia jura favent vigilantibus;*  
*& ita videtur statui L. Quod autem, §. Sciendum,*  
*ff. Quæ in fraudem: idque videtur valere pro u-*

R. 2

tro-

*ama Deum*

troque foro, quia leges id statuentes videntur justæ: è contrà *Mol. Vasq. Castrop. Lugo d. 20. n. 170.* dicunt tantùm valere, si accesserit sententia Judicis, quia ex eo præcisè, quòd petat, non auget jus suum aut minuit aliorum: si tamen creditor bonâ fide acceptarit, admittit *Lugo n. 179.* posse retinere secundùm dicenda n. 405. & 407.

405 §. 2. Amicitia præcisè non dat jus prælationis: tamen secundùm sententiam probabilem, quòd prior petens præferendus sit, poterit debitor admonere creditorem sibi amicum, quòd ipse priùs petenti possit priùs solvere, & sic procul dubio alter movebitur, ut petat, *Lugo n. 174.* qui n. 177. addit, si dedisset non petenti, posse repetere, & tum reddere petenti.

406 Q. 81. *An pauper hoc solo titulo, quia pauper est, præferri debeat diviti, si debita personalia sint paria.* R. Affirmant *S. Th. 7. Med. Sa, Silv. Laym. Salon. Rebel. & alii*, quorum sententiam *Less.* dicit esse probabilem, *7lls. n. 216.* valde probabilem; Ratio est, quia pauper, si ei non solvatur patitur gravius nocumentum, uti gravius patitur, si ei fureris unum, quàm si diviti duos solidos, priùs autem recedendum est à graviori nocumento. Negant *Azor, Vasq. Less. Furr. Bonat. Castrop. Lugo, 7lls.* & alii passim, quia nullum jus hoc suadet, & dives habet æquè magnum jus ad rem suam, quàm pauper ad suam, per accidens autem videtur, quòd ex parte unius subjecti sit majus nocumentum: putat quidem *Less.*, si pauperi inde sequatur majus nocumentum, v. g. quia viliori pretio cogetur vendere sua, ut se alat, plus ei esse restituendum, sed *Lugo d. 20. n. 162.* dicit etiam tunc tempore priori esse priùs solven-

ven-

vendum totum, non habito respectu ad paupertatem, negatque plus restitui posse, etiam in illa sententia, quæ satis communiter & probabiliter dicit in debitis personalibus non esse attendendam prioritatem temporis, nam si pauperi & diviti debeat 100, singulis autem reddat 50, sicuti 100 debita pauperi sunt illi nocumentum, quale essent diviti, si 200 deberentur, ita etiam 50 restituta pauperi sunt illi tantundem, atque si diviti restituerentur 100, ergo si utrique reddantur 50, attingetur æqualitas.

Q. 32. Quid observandum sit, si nullas creditorum habeat jus prælationis. R. Debet singulis solvi secundum partes proportionales, ita ut cui plùs debetur, plùs attribuat, quia æquitas postulat, ut ille majorem partem accipiat, qui majorem partem debet perdere, & ut majori juri activo, cui respondet majus jus passivum, etiam respondeat major solutio: Si tamen debitor Titio creditori non petenti solvisset totum debitum, quamvis reliquis creditoribus fecisset iniuriam, tamen *P. Nav. Mol. Less. Laym.* apud *7lls.* t. 4. d. 3. n. 220. dicunt Titium posse retinere, quia permissivè se habet, & res soluta, uti supponitur, non erat obnoxia reliquis creditoribus, sed sola persona debitoris, ergo Titius potuit & re ipsâ acquisivit dominium rei solutæ, sicuti mutuatarius acquirit dominium rei sub usuris mutuatæ, licet mutuanis sic dando peccet contra justitiam: ita illi. Quid autem dicant AA:, si ego creditor apud me habeam rem debitoris non potentis satisfacere omnibus, insinuatum est p. 1. n. 969. Denique notat *Mol. T. 2. d. 161. n. 11.*, si debitor sit omnibus solvendo, quamvis possit

R 3

uni

*anno 1611*

uni prius solvere quàm alteri, tamen non licere ideo aliquid accipere à creditore, cui solvit.

408 Q. 83. *An in conscientia sit obligatio observandi talem ordinem.* R. Machad. & Gabr. in 4. dist. 15. q. 2. dub. ult. negant, putantes obligare tantum pro foro externo, quorum sententiam Serra & Diana p. 11: t. 3. R. 13. dicunt probabilem, sed tenendum est oppositum cum communissima, quam docet Busenb. Herinx de restit. d. 8. n. 98. Petsch: p. 667., quia leges illum statuentes latae sunt ex æquitate justitiæ, neque nituntur præsumptione sed jure naturæ, v. g. prior creditor acquisivit jus, quo excludat alios, ergo si alter fiat illi æqualis in præensione, fit injuria.

### A R T I C U L U S III.

#### *Qua à restitutione excusent.*

409 » Resp. I. Ex parte debitoris excusant ea, quæ  
» faciunt, ut creditor rationabiliter debeat esse  
» contentus, & etsi de facto non sit contentus. *in*  
» *commun. Doct. Unde resolvuntur Casus sequentes:*  
» I. Excusaris in foro conscientiæ (juxta sen-  
» tentiam probabilem) à compensatione damni,  
» si illud datum sit sine tua culpa Theologica gra-  
» vi, hoc est, mortali peccato; nisi aliud cum alte-  
» ro pactus sis, vel inde sis factus ditior: Unde ex-  
» cusaris, si v. g. aliquem occidisti ex subita ira, ut  
» fuerit motus tantum primò primus, vel secun-  
» dò primus; vel si ex oblivione non extinxeris  
» candelam, & hinc ortum sit incendium, &c.  
» Quòd si autem advertens periculum in actioni-  
» bus periculosis, omittas eam diligentiam præ-  
» cavendi, quam homines eiusdem conditionis  
com-

communiter præstare solent, graviter peccas, & teneris restituere damna secuta. Porro in foro externo proceditur secundum culpam juridicam, quæ sæpe non est peccatum, & dividitur in latam, levem, & levissimam.

II. Excusaris à restitutione incertorum, si fecisti compositionem cum Episcopo, vel Papa, *Less. l. 2. c. 16. d. 11. Bon. q. ult. p. 2.*

III. Item si in casu, quo teneris rem restituere pauperibus, tibi ipsi revera indigenti eam des; & tunc quidem postea factus ditior adhuc non teneris restituere. *V. Laym. l. 3. t. 2. c. 12.*

IV. Si non possis restituere, nisi notabiliter cum graviore damno, tibi vel tuis, vel Reipub. inferendo, quàm æstimari debeat commodum ex restitutione creditori obventurum, tunc enim differre potes, dum cesset ista impotentia, *Lay. l. c. ex Syl. Navar. man. c. 17. n. 87. & seqq.* Idque verum est, etsi debitum sit ex delicto, uti & in sequentibus casibus:

V. Si ad restituendum sis impotens, ut si vivere non possis secundum decentiam tui statûs, justè à te acquisiti: Unde si nobilis v. g. non potest statim solvere, nisi se privet famulis, equis, armis, &c. vel civis primarius, nisi obeat artem mechanicam sibi insuetam; vel mechanicus, nisi vendat instrumenta sua, quibus vivit, aut magnum damnum subeat, potest differre, & paulatim restituere sine jactura sui statûs. *Lay. l. c. Bon.*

VI. Quòd si tamen tuâ culpâ in illas angustias delapsus sis, v. g. luxuriâ, ludis, superfluis expensis vestium, tibi imputare debes, quòd jam sine statûs tui amissione non possis satisfacere. *Ibid.*

R. 4

VII.

*Deum amare cupio*



» VII. Quòd item creditor ex dilatione æqua-  
 »le damnum subire debet, tu potiùs, quàm is,  
 »sustinere debes; cùm ejus conditio sit melior.  
 »Excipitur extrema necessitas, in qua quoad u-  
 »sum, sunt omnia communia. *Ibid.*

» VIII. Quòd si item damnum, quod timetur ex  
 »restitutione, non esset priorum bonorum,  
 »sed in hoc præcisè tantùm, quòd spoliet se rebus  
 »debitis, non potest ideo differre restitutionem:  
 »quia hoc non est pati in suis rebus, neque suum  
 »statum amittere, sed est dimittere alienum &  
 »reverti ad statum proprium, *Sayr. clav. reg. l. 10.*  
 »*tr. 5. c. 6. n. 39. Bon.*

» IX. Item excusaris à restitutione, si fieri ne-  
 »quit absque periculo salutis animæ tuæ vel tuo-  
 »rum; ut v. g. si non possis absque peccato; ut si sit  
 »periculum, ne uxor aut filia se prostituat, ne  
 »filii se dent latrociniis, ne ipse per impatientiam  
 »incidas in desperationem, *Bon. ex Less. Mol. Fill.*

» X. Item si non possis restituere absque peri-  
 »culo vitæ, vel notabili detrimento famæ: cùm  
 »aliàs plus damni sustineres, quàm intulisti. *Bon.*  
 »*d. 1. q. ult. p. 1.*

» XI. Item, si cedas bonis: quia leges concesserunt,  
 »ut qui contraxit multa debita, nec habet  
 »unde solvat, possit cedere bonis, ea relinquen-  
 »do in manibus creditorum, & tunc maneat li-  
 »ber, ita enim in conscientia fit tutus, retentis in-  
 »strumentis artis, & quæ ad sustentationem sunt  
 »necessaria. Quòd si tamen postea redeat ad pin-  
 »guiorem fortunam, tenetur adhuc restituere,  
 »ex *L. Cum & filiisam. C. qui bon. Nav. man. c. 17. n.*  
 »*86. Bon. Less. d. 3. Ex quo Trul. to. 2. r. 7. c. 15. d. 5. n.*  
 »*4. sic limitat: si acquirat plus, quàm ad decenti-*  
 am

am statim est necessarium, ex dicta L. Nisi tamen<sup>22</sup>  
 debita proveniant ex delicto, v.g. furto; eo enim<sup>22</sup>  
 casu tantum posse retinere, quæ simpliciter ne-<sup>22</sup>  
 cessaria sunt ad victum, docet *Nav. Salon. Less. l. 22*  
*c.*, etsi hic concedat ea, quæ post concessionem<sup>22</sup>  
 justè acquiruntur licitè retineri, si ad statum sint<sup>22</sup>  
 necessaria. *Vide Tol. Lay. cap. 12. Less. n. 48. Bon. 22*  
*Trull. l. c.* Porrò etsi cessionem dictam non habe-<sup>22</sup>  
 re locum in bonis ex delicto provenientiibus,<sup>22</sup>  
 communiter teneant *DD. cum Lay. l. c.*, contra-<sup>22</sup>  
 rium tamen ex *Less. Dian. &c.* docet *Trull. l. c.* De-<sup>22</sup>  
 nique etsi debitor principalis cesserit, non ideo<sup>22</sup>  
 liberantur fidejussores. *Lugo d. 21. n. 39. Dia. p. 22*  
*7. t. 8. R. 18. & alii 8.* <sup>22</sup>

Resp. II. Ex parte creditoris excusat, 1. Si is, cui<sup>22</sup>  
 debet restitui, semel remiserit, expressè vel taci-<sup>22</sup>  
 tè; v.g. si laceravit tuum chirographum, vel tibi<sup>22</sup>  
 reddidit. Remissio autem hæc debet esse libera,<sup>22</sup>  
 non metu, fraude, vel mendacio extorta. *Fil. tr. 22*  
*32. cap. 5. q. 9. Less. n. 35. 2.* Excusat in foro con-<sup>22</sup>  
 scientiæ, si solvisti ei, cui debebat tuus creditor.<sup>22</sup>  
*Less. d. 5. Bon. t. 2. de restit. ingen. d. 1. q. 4. p. 3. 3. 22*  
 Si compensatio facta est creditori per commo-<sup>22</sup>  
 dum æquivalens, v.g. per procurationem officii<sup>22</sup>  
 non gratis factam. 4. Omitti, aut saltem differri<sup>22</sup>  
 potest restitutio, imò aliquando debet, si cre-<sup>22</sup>  
 ditor sit abusus; v.g. si quis pecunias tibi mu-<sup>22</sup>  
 tuò datas repetat ad fornicandum, vel aliter<sup>22</sup>  
 peccandum. Item si eas repetat ad peccandum<sup>22</sup>  
 contra justitiam, sive inferendum damnum in-<sup>22</sup>  
 justum tertiæ personæ; nisi tamen ex negatio-<sup>22</sup>  
 ne restitutionis timeretur majus malum. <sup>22</sup>

## A D D E N D A.

410 Q. 84. Quid notandum sit circa excusationem ex eo, quòd damnum causatum sit sine culpa. R. Videri debent dicta à n. 170.

Q. 85. Quid circa excusationem propter compositionem cum Papa vel Episcopo. R. Seqq. §. 1. Compositio illa est conventio, in qua Papa debitori indulget, ut major quantitas debiti incerti, id est, cuius Dominus nescitur, mutetur in minorem, v. g. ut pro viginti aureis dentur viginti solidi ad usum pium, reliquum autem sibi retineat debitor: soletque hoc concedi per Bullam Cruciatæ, sic dictam, quia data est in favorem militiæ cruciatæ, id est, rubrâ cruce in dextera scapula insignitæ, quam Rex Hispaniæ educit contra infideles: & tum portio illa minor assignatur isti bello. Papam autem justè & licitè id facere posse, adeoque debitorem, etiam ex delicto, esse in conscientia tutum, probat post *Mol.* & alios *Lugo* D. 6. n. 150. & D. 21. à n. 91., quia Papa habet jus indirectè in res temporales, quando id necesse est ad bonum spirituale, uti fusè demonstrant *Diana* T. 1. post p. 10. R. 5. & seqq. & *Moya* T. 1. T. 6. D. 3. Q. 3., ex quibus infert *Lugo* n. 96., tenentque etiam alii multi cum *Dicast.* D. 10. n. 175., quamvis Papa nunquam sic disponat circa debita certa, posse tamen causam esse, ob quam id licitè & validè faceret; maximè autem tenent hæc circa debita formalibus hæreticis restituenda, quorum bona vel Ecclesiis Catholicis erepta sunt, vel saltem applicari deberent fisco, licèt nunc ob impotentiam non applicentur.

411 §. 2. Si causa, ob quam Papa facit compositionem,

tionem, non sit sufficiens, *Cord. Turr. & alii* adhuc affirmant compositionem esse validam, & debitorem esse in conscientia tutum, quia Papa habet potestatem disponendi de iis bonis: è contrà negant *Covarr. Sot. Nav. Med. Mol. & alii*, quia Papa non potest sine causa rem alienam invito domino applicare alteri: *Lugo D. 21. n. 95.* sic distinguit, si restitutio debeat fieri ex Lege Ecclesiæ, valet sine causa sufficiente, quia Papa potest dispensare in lege Ecclesiastica: si autem aliunde fieri debeat, requiritur causa sufficiens, quia Papa non est dominus sed tantum administrator talium bonorum, ergo non potest alienare, nisi secundum voluntatem præsumptam domini.

§. 3. Si post compositionem & persolutam 412 partem designatam compareat dominus, *Cord. Covarr. Turr. Mol. Villal. Rodriq. & alii* putant debitorem teneri ad residuum ei dandum, quia Papa non intendit nec potest extinguere jus creditorum, si compareant: è contrà *Bann. Sot. Henriq. Acoft. Trul. Diana P. 4. T. 4. R. 112.* dicunt non teneri, quia hæc compositio æquivalet præscriptioni, ergo per illam ex voluntate supremi Principis transfertur dominium: *Lugo n. 98.* sic distinguit, si compositio facta est in iis circumstantiis, in quibus ob præsumptam domini voluntatem debitor dare potuisset pauperibus vel causis piis, ad nihil ultra tenetur, etiam pro foro externo, uti docent *Rodriq. Lugo n. 105. & Castrop. apud Dian. P. 11. T. 8. R. 11.*, quia Papa tum, ex præsumpta etiam voluntate domini, habet jus disponendi, idque utile est domino, quia intentione bonâ fit, & Papa supplet ex thesauris Ecclesiæ pro anima ipsius: è contrà si compositio

positio facta sit prius, quam diligentia requisita sit præmissa pro inveniendò domino, debitor tenetur ad totum, sicuti si pauperibus sine prævia circumspèctione dedisset, secundùm dicta n. 96., Et in hanc sententiam magis propendet *ffls.* T. 4. D. 3. n. 300., licet utramque dicat probabilem.

413 §. 4. *Henriq. Villal. Trul. & Diana P. 4. T. 4. R. 112.* putant etiam Episcopum pro sua Diocesi posse sic componere, quia hoc nullo jure est reservatum Papæ; & id videtur esse juxta voluntatem creditorum pro utilitate animæ: è contrà *Silv. Cord. Rodriq. Mol. Turr. Lugo n. 107. flls. n. 297.* dicunt non posse, uti & praxis ostendit, quia Episcopus nec habet jus altum in res temporales, nec potestatem illam indirectè disponendi de rebus temporalibus subditorum, quam soli Papa concedunt Authores.

414 §. 5. *Sot. & Henriq.* putant id posse Principem temporalem, quia hæc bona subsunt alto ipsius dominio, quod probabile esse dicit *ffls.*, si debitum incertum non sit ex delicto, testaturque *Less. L. 2. C. 14. n. 36.* in diversis regnis hæreditates incertas & bona inventa assignari fisco vel magnatibus: Consentunt *Hurt. & Castrop.*, si Papa sibi hoc non reservarit: *Turr.* putat posse circa inventa, non autem circa debita incerta, horum enim compositionem dicit Papam sibi reservasse: *Lugo n. 109.* putat Principes sæculares ob jus gubernandi temporalia, quod habent, posse, quando adhuc spes est inveniendi dominum, designare personam, quæ bona inventa & incerta retineat ac procuret, cum jure acquirendicia, si dominus non compareat, id enim est ratio-

rationabile & in utilitatem creditoris : si autem non sit spes reperiendi dominum , non potest componere, quia voluntas domini, tum est, ut in utilitatem suam spiritualem expendatur, dispositiones autem circa bona destinata ad usus pios reservavit sibi Ecclesia : & in hoc consentiunt etiam *Cord. Mol. 7lls.* , quia praxis non habet , ut de talibus bonis disponant sæculares , nisi ubi id habet consuetudo cum ratificatione Papæ.

§. 6. Si quis diu differat applicare bona incerta pauperibus vel piis causis , spe obtinendæ interim compositionis, peccat, quia agit contra voluntatem & utilitatem domini, *Mol. Lugo n. 110.*, obtentâ tamen compositione postea liberatur ab omni restitutione. 415

§. 7. Compositio hæc conceditur, 1. pro fructibus Ecclesiasticis malè perceptis , quamvis sciatur, cui Ecclesiæ debeantur : 2. Pro medietate legatorum, si nesciantur legatarii : 3. Pro acquisitis ex contractu iniusto ex utraque parte : 4. Pro acquisitis illicite ex una parte : 5. Pro aliis bonis incertis etiam licite acquisitis , de quibus plura habet *Lugo à n. 111.*, ubi etiam bene explicat, in quibus casibus & pro quibus summis fieri non possit talis compositio. 416

§. 8. *Lop.* aliique apud *Dian. p. 4. t. 4. R. 46.* docent mercatores, pistoros &c., qui per parva furta defraudarunt eementes ex eadem communitate, qui nunc ignorantur, posse petere compositionem cum Papa, idemque tenent illi, qui cum *S. Th.* putant pauperibus dari posse , sed opposita sententia est communior, quam tenendam esse censet *Diana* , & tenuimus n. 244. nem-

nempe restituendum esse hominibus illius com-  
munitatis, quæ defraudata est, uti habet etiam  
*Busenb. relatus n. 201.*

418 §. 9. Si creditor sit notus, sed ita longè absit,  
ut ex præsumpta eius voluntate debitum dari  
posset pauperibus, tum putant *Sot. & Henriq.*  
non licere compositionem, quia tantum conce-  
ditur, quando creditor est incertus; sed *Covarr.*  
*Rodriq. & Turr.* tenent tum etiam licere, idem-  
que probabile putat *Lugo n. 139.*, quia in Bulla  
dicitur, dum sciri non possunt ii, quibus legitime debe-  
bat & posset fieri restitutio, in tali autem casu non  
scitur dominus, cui debeat & possit fieri restitu-  
tio, ergo.

419 §. 10. Quod retinetur ex compositione, de-  
bet expendi pro solutione aliorum debitorum  
certorum: si tamen Cajus habens potestatem  
componendi mortuus esset, & hæres loco ejus  
composuisset, quod eum facere posse docet *Lugo*  
*n. 143.*, putat idem *Lugo d. 20. n. 12.* hæredem  
non teneri hoc expendere ad alia debita certa te-  
statoris, quia hæc debita debent solvi ex hæredi-  
tate: è contrà *Mol.* tenet oppositum, quia agit  
negotium & partes alterius: sed videntur posse  
conciliari hoc modo; si hanc compositionem  
petiit hæres specialiter pro se, & non agat ut hæ-  
res, potest sibi retinere, quia gratia illa ipsius  
personæ conceditur, non aliter atque si ea bona  
ab alio erepta essent & ipsi redonata: si autem  
composuit ex vi potestatis & Bullæ, quam testa-  
tor habuit, debet expendere in alia debita  
defuncti, quia tum non agit causam suam sed de-  
functi vel hæreditatis, & quod retinet, habet ve-  
luti persona civiliter eadem cum defuncto, ergo  
tene-

tenetur expendere ad extinguenda debita defuncti.

De privilegio, quod Cæsar vel Rex Hispaniæ quibusdam confert, ut non possint conveniri de debito, nisi quantum commodè possunt, videri possunt *Dicast. à n. 68. & Haun. n. 433.*

Q. 86. *An Titius iniquus detentor excusetur, si 420*  
suadente vel jubente Confessario rem alienam dederit pauperibus, aut eam commendarit Confessario, ut restitueret, qui tamen hoc negligat. R. §. 1. Si Confessarius suaserit absque præmissa sufficiente diligentia in inveniendo domino, dictum est n. 96., per se loquendo, non excusari, saltem in defectu Confessarii; & idem est à potiori, si Confessarius, quando dominus sciebatur, temerè suaserit dari pauperibus, quod domino restitui debebat & poterat.

§. 2. Si Confessarius etiam ita imprudenter 421  
obligarit pœnitentem ad dandum pauperibus, pœnitens videtur liber, quia in illis circumstantiis ex præcepto Confessarii tenebatur dare pauperibus, ergo prudenter præsumitur creditor consensisse, ut id fieret. In oppositum occurrit, quòd creditor non censeatur consentire, nisi res prudenter sit assignata pauperibus, ergo licèt Titius non peccarit sequendo Confessarium, imò obligatus fuerit sequi, cùm tamen hoc præceptum fuerit imprudens, & eius causa fuerit præterita iniuria à Titio commissa, ratione hujus manet obligatio restituendi; quod jam magis confirmabitur.

§. 3. Si Titius rem alienam commiserit Con- 422  
fessario, ut restituat, & hic sibi retineat vel perdat, etiam sine culpa, aliqui dicunt Titium, qui fuerat



fuerat iniquus detentor, esse liberum, quam sententiam dicit *Less.* non omnino esse improbabilem, *Rodriq. Fill.* & alii probabilem, *Cenedo* amplectitur, *Diana P. 2. T. 17. R. 2.* dicit se practicasse, *Tamb. & Sporer T. 4. C. 4. n. 19.* dicunt se non audere damnare: Rationem dant, quia fecit, quod potuit & debuit, ac præsumitur voluntas creditoris fuisse, ut ita fieret. Contraria sententia est communis & probabilior cum *S. Anton. Nav. Less. Rebel. Mol. Laym. Lugo D. 21. N. 59. Dicast. D. 3. N. 113. Herinx D. 8. n. 109. Jlls. t. 4. d. 3. n. 305. Sporer N. 15.* Ratio est, quia debitor ex delicto tenetur dominum efficaciter reddere indemnem; estque hæc sententia conformior dictis n. 252. & 364. Quod si ratio opposita teneret, sequeretur eum, qui etiam per nuncium à domino non designatum mitteret, fore liberum, si casu periret, quod tamen adversarii non concedunt: itaque faciendo quod potuit, fecit quidem satis ad vitandum nunc peccatum, sed non ad extinguendum debitum, & quamvis præsumeretur creditor consensisse, ut sic fieret, tamen permittebat tantum, & non ideo resignabat juri adhuc repetendi, si fortè modus ille non succederet.

- 423 *Objici potest:* Si pecuniam ex voto vel juramento debitam mittas Ecclesiæ, & in via pereat, probabile est te non teneri aliam mittere, quamvis negligentiam aliquam commiseris tradendo tali, qui sciebatur non adeo esse cautus, ergo similiter hîc. *R. N. seq.*, nam liberè promittens non censetur se voluisse obligare ad ejusmodi duplicem solutionem, quod enim ex liberalitate debetur, non est tam amarè exigendum, uti rectè

rectè *Tancr. & Diana P. 10. T. 16. R. 97.* , item  
*Tamb. & Sporer N. 13.*

Q. 87. *Quid addendum sit circa excusationem* , 424  
*quia damnum causaretur debitori vel creditori. R. Seqq.*

§. 1. Si damnum debitoris esset notabiliter ma-  
jus , quàm futurum esset commodum creditoris  
ex restitutione , potest hæc tantisper differri , et-  
iamsi debeatur ex delicto , quia est quædam æqui-  
tas , ut creditor , quando sine magno incommo-  
do potest , saltem ex charitate permittat tum dif-  
ferri , ut caveatur grave damnum proximi , ita  
*Scot. Gabr. Med. Nav. Less. Dicast. d. 10. à n. 38.*  
contra alios : hinc universaliter infert *Beia p. 1.*  
*cas. 36.* , si creditor per dilationem nullum da-  
mnum patiatur , & tu debitor possis inde habere  
lucrum , quamvis ille sit invitus , te posse differre ,  
quia est irrationabiliter invitus , uti ibidem plu-  
ribus probat.

§. 2. Si non sit spes , quòd unquam cum mi- 425  
nore damno debitoris fieri possit restitutio ,  
quàm tali , propter quod potest differri , *Mol. d.*  
*754.* dicit esse restituendum : *Rebell.* dicit perse-  
verante eadem causâ & ratione posse in perpe-  
tuum differri seu absolutè omitti , si debita non  
sint ex delicto ; consentiunt plures , si damnum  
debitori subeundum sit superioris ordinis ,  
quamvis sit ex delicto ; imò *Bonac. de Rest. d. 1. q.*  
*ult. n. 29.* & alii dicunt posse in perpetuum omit-  
tirestitutionem , quamvis damnum sit ejusdem  
ordinis : consentit *Lugo d. 21. n. 20.* , sed requirit  
majus damnum debitoris , quàm quòd præcisè  
sufficit ad differendam restitutionem , gravius  
enim est in perpetuum carere quàm ad tempus :  
addit *n. 22.* non esse idem de debitis ex delicto &

Tom. III.

S

aliis ,

aliis, tamen si ad omittendam omnino solutionem debiti, quod non est ex delicto, sufficeret damnum duplo excedens quantitatem debiti, putat ad omittendam debiti ex delicto sufficere, si damnum quadruplo excedat tum quantitatem debiti, tum etiam damnum emergens creditori ex lucro cessante ob omissionem illam. Videri possunt dicta q. 71., ubi n. 372. notavimus, si res domino restitui non possit, debere restitui saltem pauperibus: quod si nec hoc possit, notat Lugo n. 22. debitorem teneri orare pro domino vel facere orari & offerri bona opera pro eo.

426 §. 3. Si restitutio fit creditori allatura damnum, v. g. quia abutetur ad peccandum, non est tum obligatio restituendi, quia charitas obligat ad impediendum damnum spirituale proximi, quando facile possum; neque creditor habet tunc jus proximum petendi rem suam, neque rationabiliter est invitus, ut retineam, *Nav. Ser. Mol. Regin. Less. Lugo n. 26. Ills. t. 4. d. 3. n. 256. contra Az. Sanch. Bonac. & alios.* Excipiuntur sequentes casus, 1. si ex dilatione solutionis non impediatur peccatum, quia creditor cras recipere debet, & sic dupliciter peccabit, *Mol. Lugo n. 28.* 2. Si dilatio parum prodesset, quia per Judicem cogaris reddere, aut aliunde habebit rem similem, *Less. Lugo.* 3. Si damnum ipsi secuturum fit merè temporale, quod ipse licitè possit subire, uti si pecuniis suis vellet instituire convivia, *Lugo n. 27.* Quod si restitutionem differas ad impediendum temporale damnum creditoris, non teneris compensare minora damna illi ex dilatione secuta, quia rem ejus bene gessisti, *Mol. Lugo n. 31.*

§. 4.

§. 4. Si creditor est re suâ abusus in injuriam 427  
alterius, & tu sine gravi incommodo possis ne-  
gare, reddendo peccas, non tantum contra cha-  
ritatem, uti putant *Mol. & Dicast. n. 98.*, sed et-  
iam contra justitiam, ita *Sot. Less. Castrop. Bonac.*  
*Lugo n. 29. Jlls. n. 259.* aliique communiter, quia  
restitutio est hic & nunc indebita creditori, pro-  
ximus autem habet ius, ne creditori subministres  
materiam ipsi nocendi, v. g. gladium, & submi-  
nistrando sive tuam sive ipsiusmet creditoris  
rem, cooperaris damnificationi iniustæ.

Q. 88. Quid addendum sit circa excusationem 428  
propter impotentiam vel indigentiam debitoris. R.  
Seqq. §. 1. Peccat contra justitiam, qui potest  
& non vult tollere impotentiam, v. g. si Cajus  
non velit admittere donationes vel hæredita-  
tem sibi oblatam, quâ habitâ restituere posset;  
sicuti ille peccaret contra charitatem, qui admit-  
tere nollet pecuniam, quâ succurreret extreme  
indigenti; Ratio est, quia qui tenetur ad finem,  
etiam tenetur ad media ordinaria vel sine gravi  
incommodo ponibilia, sed Cajus ex iustitia te-  
netur restituere, ergo etiam ad amittenda illa,  
quibus solvere possit, ita *Mol. Castrop. Bonac.*  
*Sanch. de Matr. l. 6. d. 4. à n. 8. Lugo d. 20. n. 137.*  
*Haun. t. 2. n. 497. Jlls. t. 4. d. 3. n. 191. & 281.*  
Vide dicta n. 384.

§. 2. Si debitor & creditor sint in æquali ne- 429  
cessitate extrema, debitor excusatur à restitutio-  
ne rei, si hæc sub eius dominio sit, quia in pari  
causa & periculo melior est conditio domini  
possidentis; putantque *Sot. Lop.* aliique multi ap-  
ud *Dicast. d. 10. n. 28.* contra *Led. Tabie. Az. Co-*  
*varr.* debitorem talem posse creditori præferre

etiam parentes suos, uxorem, liberos simili necessitate extremâ laborantes; fortè etiam fratres, uti docent *Tol. Less. Bonac.*, quia illos omnes censent esse unam personam cum debitore. Si autem res restituenda manserit sub dominio creditoris, uti si debitor habeat per contractum depositi aut commodati, adhuc putant *Vasq. Bonac. Dicast. n. 27.* debitorem excusari à restitutione, quia rem justè possidet, & per extremam necessitatem fit communis, videturque jam prius occupando acquirere eius dominium: sed probabiliter contradicunt *Scot. Rich. Palud. Lugo d. 21. n. 4.*, quorum sententiam esse probabilem fatetur *Dicast. d. 9. n. 284.*, quia necessitas extrema non dat ius appropriandi sibi rem alterius in æquali necessitate constituti, neque possides, ut consumas, sed ut serves ac restituas, quando contractum finiet iusta causa, qualis videtur esse extrema indigentia domini.

430 §. 3. Si debitor & creditor sint in æquali aut ferme æquali necessitate tantùm gravi, debitor tenetur restituere, uti habet communis cum *Az. Laym. Less. Dicast. d. 10. n. 30.*, & ita sentire omnes dicit *Molina*: *Lessius* tamen & *Ills. t. 4. d. 3. n. 246.* insinuant hoc tantùm verum esse, si vel res restituenda manserit sub dominio creditoris, quia tum in pari causa melior est conditio domini; vel si obligatio restituendi sit ex delicto, iniquum enim videtur, ut debitor ex sua injuria reportet commodum contra innocentem pari necessitate gravatum. Addunt communiter omnes cum *Laym. & Ills. n. 248.*, si debitor per luxum vel prodigalitem dederit causam suæ necessitati gravi, neque spes sit, quòd

quòd per modicam dilationem vel successivam solutionem creditori satisfieri possit absque tanto damno creditoris, esse obligationem statim restituendi. Quòd si solus debitor sit in gravi necessitate, & debitum non sit ex delicto, etiam fatentur omnes differri posse restitutionem, creditor enim tum esset irrationabiliter invitus; si autem debitum sit ex delicto, negant differri posse *Sot. Med. Mol.* aliique gravissimi AA. apud *Az. p. 3. l. 4. c. 39.*, sed adhuc differri posse dicunt *Scot. Ang. Rosel. Gabr. Nav. Palud.* cum *Az. supra*, item *S. Anton. Silv. P. Nav. Tol. Laym. Castrop. Lugo* aliique communiter cum *7lls. n. 246.*, quæ sententia vera est, si res restituenda, sit sub dominio debitoris, excusat enim illum necessitas præsens, ne re suâ teneatur se spoliare: hinc *Burgh. cent. 2. cas. 78.* docet posse aliquem in gravi necessitate retinere Decimas alioqui solvendas, etiam non datâ parocho causâ; sed plerique AA. citati id absolutè dicunt, adeoque videntur intelligere, etiamsi res restituenda, sit adhuc sub dominio creditoris; Ratio tamen, quam dat *Less. l. 2. c. 16. n. 16.*, nempe quòd licitum sit in gravi necessitate surripere rem alienam, & consequenter etiam retinere, falsa est, uti constat ex dictis p. 1. n. 955., neque enim verum est, quòd causa, quæ excusat à restitutione, etiam excuset à furto, uti in q. seq. dicetur; itaque hanc rationem dare debent, quòd creditor in illis circumstantiis sit irrationabiliter invitus, ut retineatur res sua, cum enim sit obligatio dandi eleemosynam proximo in gravi necessitate constituto, secundum dicta l. 2.

n. 200., multò magis videtur esse obligatio rem suam tantisper accommodandi, permittendo aliquam dilationem restitutionis.

431 §. 4. Si talis necessitas aut impedimentum grave restitutionis futurum esset perpetuum, certum est debitorem teneri quàm parcissimè vivere, ut saltem per vices restituat partes debiti: fatetur tamen *Lugo d. 21. à n. 19.*, & idem videntur insinuare alii apud *Laym. l. 3. t. 2. c. 12. n. 1.* agnoscitque probabile *7lls. n. 249.*, etiam in perpetuum excusandum, si damnum à debitore subeundum esset notabiliter majus damno creditoris; sed de hoc videri possunt sententiæ relatæ n. 365. & à n. 424.

432 §. 5. Licitum est uxori retinere necessaria ad sustentationem suam & prolium ex bonis mariti debitis onerati & impotentis omnia solvere, alimentatio enim horum est privilegiata ante reliquos creditores; & sicuti talis necessitas debitorem excusabat, ita & hæredes excusat à restitutione.

433 §. 6. Si rem mutuò acceptam & alteri venditam sed nondum traditam in extrema necessitate consumpsisti, postea restitutus meliori statui teneris satisfacere, inprimis mutuanti, quia res erat tua, nec alius tenetur solvere id, quod tu ex bonis tuis consumpsisti; deinde etiam emptori, quia tua obligatio tradendi non tollebatur sed tantùm suspendebatur per incidentem necessitatem, ergo teneris postea ei tradere similem vel aliter satisfacere, ita cum aliis *Lugo n. 1.*

434 §. 7. Si rem alienam dedisti pauperi extreme indigenti, quia carebas propriâ, quam dares, non

non teneris restituere, quia pauper jus habebat ad illam accipiendam, *Bonac. Lugo n. 5.* Si tamen rem propriam habebas, quam dare posses, & dedisti alienam, videris teneri restituere, quia teneris pauperi illi subvenire, nec poteris arripere aut determinare rem alienam, quamdiu tibi propria suppetebat. An fur, qui rem alienam in extrema necessitate consumpsit, teneatur restituere, dictum est n. 288.

*Q. 89. An causa excusans à restitutione, etiam excuset à furto. R. Negative, nam imprimis si res restituenda sit sub dominio tuo, patet ex dictis n. 430. te in gravi necessitate posse eam retinere, neque tamen in tali necessitate liceret tibi similem rem alienam surripere, uti dictum est p. 1. n. 955. Deinde etiam si res restituenda sit aliena, adhuc docent authores n. 430. citati licet eam ad tempus teneri à debitore in gravi necessitate constituto, & tamen certum est ex dictis p. 1. n. 955. non licere eam in gravi necessitate surripere: similiter si gravem infamiam deberes subire, excusaris à restitutione rei alienæ, neque tamen potes surripere, ut gravem infamiam caveas, ita *Lugo D. 13. N. 49. Nec obstat, quòd retentio seu non restitutio videatur esse continuata surreptio, nam superveniente rationabili causâ non censetur moraliter continuari surreptio, nec præceptum restituendi ita obligat, uti præceptum non surripiendi: Ratio disparitatis est, 1. quia præceptum restituendi videtur imitari præcepta affirmativa; & saltem requirit positionem actionis moraliter, præceptum autem non surripiendi est negativum; jam autem præcepta negativa**



obligant, non tantum semper pro semper, sed etiam magis, quam affirmativa, uti per exempla ostendit Lugo N. 51., quia nempe negativa, cum solum prohibeant actionem, minus exigunt, ergo non tam facile est excusatio contra illa; affirmativa autem exigunt poni aliquid, quod sit saltem moraliter positiva actio, quod plus est, ideoque facilius excusatur quis a transgressione, quia difficilius est ponere aliquid, quam nihil ponere, & ita etiam hic est, nam furando spoliando dominum re, quam possidet, sed restituendo spoliando te re, quam habes, facilius autem est non spoliare alterum, quam spoliare se ipsum, ideoque dominus non ita est invitus, si non restituas, quam si surripias, ergo causa excusans a restitutione non ideo excusat a surreptione. 2. Ille plus influit, qui primo & positive causat damnum, quam qui illud jam positum permittit seu non impedit, surripientem autem primo & positive influit; non restituens, tantum negative, non tollendo, ergo hic facilius excusatur quam ille.

436 Q. 90. *Quid addendum sit circa cessionem fori si-  
ve honorum.* R. Seqq. §. 1. Qui cedit bonis, libera-  
tur quidem a carcere, nec amplius potest mole-  
stari in foro externo, attamen probabilius est  
cum Covar. Nav. Mol. Less. Castrop. Lugo, 7lls. T.  
4. D. 3. N. 266. & aliis contra aliquos, si ad me-  
liorem fortunam redeat, in conscientia teneri  
satisfacere creditoribus, etiamsi Judex illi cessionem  
addiderit solennitatem ignominiosam, hæc  
enim adhibetur in poenam præsumpti criminis,  
ut homines deterreantur a contrahendis debitis  
suâ substantiâ majoribus: notat tamen Dicast. D.

10. à N. 81. non teneri postea restituere, nisi in quantum commodè potest, hoc est, congruâ sustentatione retentâ.

§. 2. Cessio fori non est necessaria illis debitoribus, qui propter debita civilia in carcerem mitti non possunt, quales sunt mulieres honestè viventes, milites actu bellantes, in quibusdam provinciis Nobiles & Doctores, item Clerici gaudentes privilegio canonis & fori, nisi fugere meditentur, de quibus omnibus videri possunt leges & authores apud *7lls. N. 268.*

§. 3. *Mol.* & alii docent contrahentem non posse se obligare ad debita solvenda, renuntians jure ad cessionem bonorum, quia in commune bonum conceditur, communi autem privilegio nemo privatus validè renuntiat: Oppositum tenent alii cum *Castrop. tr. 32. d. 1. p. 17. §. 7. n. 12.*, quia hoc privilegium videtur immediatè concessum personis privatis, & primariò ac directè in harum utilitatem, secundariò autem & indirectè tantùm in utilitatem communitatis: saltem rectè notat *Lugo d. 21. n. 45.* posse aliquem se obligare ad non retinenda necessaria pro statu ex acquirendis post cessionem, ad hoc enim potest se obligare, quod facere potest licitè & sine proiudicio iuris alieni. Quòd si promiserit uni debitori tradere vel contrahere de tradendo pignore, potest id facere, si promissio fuerit acceptata, & hic creditor ideo præferetur reliquis, *Less. in auct. V. Restit. cas. 3.*

§. 4. Cedens foro potest reservare necessaria sustentationi, etiam suorum, convenienter ad statum, *L. 4. & 6. ff. De cess. bonor. & §. ult. Inst. De actionibus*; si tamen aliquis ex industria dissipaf-

set alia sua bona, non gauderet privilegio cessionis, uti habetur in Jure apud *Lugo* f. 3., tali autem non gaudenti privilegio cessionis nihil relinquitur, nisi vestes viles & communiter ab ipso gestari solitæ, non autem alimentatio, uti contra *Less.* ostendit *Lugo* n. 37.; docetque etiam *Jlls.* suprâ: humanitas tamen Judicium in Germania vel consuetudo concedit modica alimentata, uti testatur *Manzius* apud *Haun.* n. 445. An autem usurarius gaudeat beneficio cessionis, non conveniunt AA, ideoque alii affirmant, alii negant apud *Pirh.* l. 5. t. 19. n. 53.

440 §. 5. Si quis debeat illi, qui cessit foro, tenetur suum debitum manifestare & solvere ministris justitiæ, ut extradatur creditoribus secundum æquitatem, *Sylvius* in Ref. Cas. p. 2. V. Restitut. cas. 3.

441 Q. 91. An ingressus in Religionem excuset à restitutione. R. §. 1. Si debitor non poterit in Religionem, sed manens in sæculo speret se posse solvere, *Gers. Gabr. Maj. Med. Angles, Mol. Castrop.* t. 16. d. 1. p. 7. §. 4. & alii absolutè negant licere Religionem ingredi: è contrâ *S. Th. 2. 2. q. 189. a. 6. ad 3. S. Anton. Silv. Palud. Caj. Ang. Arrag. Sa* aliique apud *Sanch.* in Dec. l. 4. c. 19. n. 7. absolutè dicunt licere: *Lop.* uterque *Nav. Az. Sanch. Dian. Less. Lugo, Haun.* & alii cum *Dicast.* d. 10. à n. 129. probabiliùs sic distinguunt, si brevi tempore manendo in sæculo speret se posse absque notabili difficultate solvere ex toto vel magna ex parte, tenetur differre ingressum, secus autem, si necesse esset per longum tempus differre: per breve autem tempus intelligunt *Nav. Sanch. & Lugo* duos annos, *Castrop.* tres, *Maj.* duos, vel tres.

tres.

tres. *7lls. t. 4. d. 3. n. 272.* paulò aliter sic distinguit, etiam valde probabiliter; si debitum sit exiguum, aut spes solvendi exigua, aut damnum spirituale valde grave, quia nempe interea imminet magnum periculum vel committendi peccata, quæ inhabilitare poterunt ad Religionem, vel amittendæ occasionis, ut admittatur, tenendum est cum secunda sententia, 1. Quia debitor non tenetur restituere cum damno suo, præsertim in bonis altioris ordinis, longè majore, quàm sit commodum creditoris, uti dictum est n. 424., creditor enim irrationabiliter tum urget solutionem debiti, sed in nostro casu debitor pateretur notabiliter majus damnum spirituale, quàm sit commodum creditoris, ergo. 2. Si debita sint gratuita, non censetur voluisse se obligare tam strictè, quin includeretur hæc conditio, nisi Deus me vocarit ad statum perfectum cum solutione talis debiti impossibilem, sicuti in contractu sponsalium includitur hæc, nisi ad Religionem transiero, ita multi cum *Dicasst.* N. 134., Si autem debita sint ex delicto, adhuc non obligatur ad procurandam solutionem cum tanto onere nunquam amplectendi statum perfectiorem, extra quem salus subiret periculum. 3. Debitor non tenetur dimittere statum justè acquisitum, item conjugatus non tenetur abstinere à generatione prolium, si autem conjugatus non est & patiat periculum incontinentiæ, non tenetur abstinere à Matrimonio, licet prævideat inde secuturam impotentiam solvendi debita, quia nempe ista censentur moraliter impossibilia vel nimis onerosa, ergo multò minùs tenetur aliquis negligere vel abstinere ab ingres-

su

fu Religionis ita conducentis ad salutem. E contra si debitum & spes aliquando solvendi debitum notabiliter superent damnum spirituale, tenendum est cum tertia sententia, quia sic sine notabili damno satisfieri potest iuri creditoris, ergo ad hoc est obligatio; & ob hanc rationem docet *Lugo* D. 21. à N. 70., si vellet ingredi Religionem laxam, vel ob finem tantum temporalem, non excusandum, quia tum deficiunt rationes antè datæ; & idem dicit N. 74. de illo, qui promississet aliquid facere, & intra breve tempus posset commodè explere. Et quæ dicta sunt de debito reali, valent de debito seu obsequio personali impossibili cum statu religioso, uti rectè *Lugo* N. 274.

412 §. 2. Contra antè dicta objici possunt sequentia, 1. Obligatio solvendi debitum est juris naturalis, ergo prævalet intentioni ingrediendi Religionem, quæ tantum est consilii. 2. Non est licitum se addicere servitio pauperum in hospitali, si per hoc impediatis à solvendis debitis, ergo similiter hîc. 3. Filius non potest ingredi Religionem, si obstat pietas erga pauperes parentes alendos, sed justitia erga creditores æquè graviter obligat, ergo. 4. Non est licitum surripere alienum propter acquirendum bonum tuum spirituale, ergo nec est licitum non restituere, quia non restitutio est continuata surreptio. 5. Qui corrumpit virginem sub spe Matrimonii, non potest eâ relicta ingredi Religionem, uti docent *Sanch.* de Matr. l. 1. d. 44. *Less.* l. 2. c. 10. d. 4. *Lugo* n. 78., & colligitur ex dictis hîc n. 320., ergo similiter, qui læsit jus alienum. *Re. Ad* 1. Est juris naturalis absoluti, n.; conditionati, si nempe solvi

solvi possit sine notabiliore damno in bonis alterius ordinis, c: ant: & n. conseq. *Ad 2. N. conseq.*, quia utilitas hujus servitii facile compensari potest per alia opera, imò per ipsum laborem pro solvendis debitis; non ita utilitas Religionis. *Ad 3. N. min.*, nam necessitas alendi parentes etiam excusat à solutione debitorum ex justitia. *Ad 4. N. conseq.*, cujus falsitas patet ex dictis n. 435. *Ad 5. N. conseq.*, disparitas est, imprimis quia persona deflorantis ejusmodi magis in se & immediatè obligatur defloratæ, creditori autem potiùs obligantur bona debitoris, ergo si bona dimittat, debet personæ manere libertas vacandi salutem in statu ita perfecto: deinde talis deflorator implicite promittit abstinere à statu religioso, si concederetur usus corporis, quia promissio Matrimonii intenti per interpositam copulam imbibit exclusionem status religiosi, ergo usu illo concesso promissio absolute obligat; è contrà debitor non promittit solvere postpositâ Religionem, uti suppono: quòd si promississet (uti aliquis promittere potest) non ingredi Religionem, priusquam solvisset debitum, & alter hanc promissionem acceptasset, teneretur non ingredi, quia promissio debet servari, quando sine peccato servari potest, *Sanch. n. 38. Lugo n. 67. Flls. n. 279.*

§. 3. Si dubites, v. g. an intra triennium possis solvere debita, *Flls. n. 272.* dicit favendum debitori, quia quamvis debitum sit certum, tamen etiam certum est jus assecurandi suam salutem in statu ducente ad perfectionem, ergo cum hoc sit juxta finem ultimum hominis & longè præstantius, censetur prævalere: è contrà *Sanch. n.*

9. & *Dicast.* n. 132. dicunt favendum creditori, adeoque debitorem teneri expectare: *Lugo* dicit expectandum, sed breviori tempore; Ratio est, quia ius creditoris est certum, uti supponitur, & excusatio debitoris dubia, quia nemo dicit certum esse, quòd Religionem statim ingredi possit: fatentur tamen *Sanch. Lug. & Dicast.*, si debitor habeat rationes utrimque probabiles, posse sequi partem, quam volet.

444 §. 4. Hactenus dicta tenent spectato iure naturæ, nam *Sixtus V.* per Bullam anno 1587. datam, bonorum decoctores post dilapidatam suam rem familiarem; itemque illos, qui habent rationes deponendas, reddit inhabiles ad Religionem, antequam debita solverint vel rationes deposuerint: Circa quam Constitutionem notanda sunt sequentia: 1. *Sixtus* reddidit quidem tales inhabiles, sed *Clemens VIII.* hanc inhabilitatem sustulit, relictâ tamen prohibitione & pœnis; consequenter, quamvis illicite, tamen valide profitebuntur, *Nav. Sanch.* n. 19. *Dicast.* n. 139. *Ills.* n. 275. 2. Prohibitio illa facta est unice in favorem creditorum, adeoque ligat tantum illos, qui magna habent debita superantia vires facultatum, dicitur enim aliquoties, *ingenti cre alieno gravati*, & qui aliter satisfacere non possunt, & à quibus sperari potest solutio, si in sæculo maneat, *Sanch. Dicast.* n. 144. *Ills.* supra. 3. Constitutio illa in sequentibus non habet locum, in primis in Monialibus, circa quas procedendum secundum ius commune, *Sanch. Dicast.* n. 140. Deinde nec in Equitibus Ordinum militarium, quia in odiosis non comprehenduntur nomine Religiosorum, *Az. Sanch. Dicast.* n.

241, valere tamen in Clericis horum Ordinum docent *Sanch.* 23. & *Lugo* n. 87. contra *Azor*: Nec in illis, qui tantum gravantur debitis incertis, *Sanch. Dicast.* n. 145., potest enim Confessarius illis tanquam pauperibus, aut saltem Monasterio applicare summam restituendam, *Sanch. 7lls.* n. 270. Nec in illis, qui absque culpa gravi inciderunt in impotentiam, nam lata est contra decoctores, dilapidatores &c. *Dicast.* n. 147. Nec in illis, qui in poenam delicti, v. g. ob deflorationem virginis, damnati sunt ad aliquid solvendum, vel ex promissione liberali debent, *Sanch.* n. 28. Nec in illis, quibus creditores id permittunt, vel pro quibus Monasterium aut quivis alius cavet, quia *Sixtus* videtur tantum agere de debitoribus, qui *ere alieno*, id est, de bonis alienis gravati, in praedictum creditorum Religionem ingrediuntur. 4. Praeceptum de reddendis prius rationibus intelligitur de rationibus valde litigiosis, intricatis, fraudulentis, daturis causam litium, *Dicast.* n. 153. *7lls.* n. 280.

§. 5. Si te addixeras Magistro, v. g. Chirurgo 445  
ad tres annos, & primo anno Religionem ingrediaris, nec per te nec per alium teneris compensare lucrum cessans vel damnum emergens ex tuo abitu, sed tantum aestimationem expensarum & instructionis pro isto anno, deducto tamen valore laboris à te impensi in utilitatem Magistri, ita *S. Anton. Sanch. 7lls.* n. 274. *Lugo* n. 73., qui n. 85. rectè limitat, nisi damna causasses citius abeundo, quando de jure tenebaris differre abitum.

§. 6. Si promiseras aliquid explere, quod praestare non potuisti in saeculo, potes autem in Religione 446  
ligione



ligione ; *Sanch.* n. 35. dicit te non teneri præstare in Religione, quia conditio illa, nisi Religionem iniero, te eximit: Sed *Lugo* n. 75. cum communi contradicit, quando enim promissum expleri potest in Religione, non censetur includi illa conditio, quia tale opus non impedit ingressum.

447 §. 7. Monasterium non tenetur solvere debita Religiosi è bonis Monasterii, tenetur tamen è bonis Religiosi; item ex eis, quæ per legatum, donationem vel hæreditatem accipit; item ex eis, quæ Religiosus Monasterio acquirit, v. g. docendo, laborando, deductis tamen expensis. *Sanch.* l. 7. c. 31. n. 4. *Lugo* n. 79. Ratio est, quia bona Religiosi, vel jus ad ea, quæ obveniunt, non transit in Monasterium mediâ personâ Religiosam, ut transeat cum onere, quo ea habuisset Religiosus, habuissent autem annexum onus restituendi, si mansissent in potestate & dispositione Religiosi, ergo.

448 §. 8. Religiosus debitor tenetur ad opera sua sui & conditioni præsentis convenientia, quæ lucrari possit & solvere, *Med. Nav. Maj. Lugo* n. 80. contra *S. Anton. Palud. Rosel. Ang. Silv. T. 1. c. 1. Arrag.*, Ratio est, quia ideo Religio liberat a solutione, quia impedit modum solvendi, ergo si hunc non impedit, non magis liberat, quam status Ecclesiasticus; quòd enim bonis cesserit non juvat, quin adhuc debeat modo communis & ordinario procurare integram solutionem debitorum: non tenetur tamen ad extraordinaria & indecentia statui, quamvis Prælatus permitteret, *Sanch.* l. 4. c. 19. n. 16., sicuti si quis rusticus factus nobilis haberet debita, non tenetur

retur laborare instar rustici, sed tantum proportionate ad presentem statum.

§. 9. Religiosus excusatur, si Prælatus neget 449  
ei licentiam laborandi, nec ideo tenetur egredi, est communior cum *Mol. & Lugo* n. 81. contra *Angl. & Mol.*, Ratio est, quia statui illi non convenit nolle esse subiectum Prælato, essetque plane extraordinarium ideo velle egredi, aut mutato habitu se miscere sæcularibus.

§. 10. Prælatus non tenetur ex justitia Reli- 450  
gioso debitori dare licentiam laborandi, *Nav. Lugo* n. 82. & alii, quia Prælatus nihil debet creditoribus, & per professionem habet jus ad gubernandum Religiosum, longè fortius, quàm creditores, ipse enim habet traditionem Religiosi: videtur tamen ex charitate teneri dare licentiam talem, si nihil sit inconvenientiæ, ne creditor careat suo debito. Ad quid teneatur filius jam Religiosus, si parentes egeant, dictum est p. 1. n. 694.

Q. 92. An auctoritas Judicis vel lex excuset à 451  
restitutione. R. Excusare in his casibus: 1. Si Judex in pœnam delicti & ex præsumptione vera imponat multam Cajo solvendam mihi, potero non solvere tantundem, quod aliunde debeo Cajo. 2. Si Titius per sententiam cogatur Sempronio refarcire damnū sine culpa gravi Theologica datum, Sempronius potest acceptare & retinere, quia auctoritate legis & Judicis ob commune bonum transferri potest dominium unius in alterum. 3. Si Cajo justè secundum allegata & probata, sed re ipsa iniustè privatus sit beneficio vel officio, & ego illud bonâ fide acceperim, quamvis postea resciam iniustè privatum fuisse,

fuisse, non teneor dimittere vel aliquid restituere, *Less. Dicast.* d. 10. n. 173. 4. Si Minor acceperit pecuniam mutuam, quam totam in luxum & lasciviam profuderit, nil tenetur restituere, beneficio L. 2. Cod. *De filiofamilias*, *Less.* in auct. v. *Sponsalia* cas. 2. Quod etiam aliàs tenetur, uti dicemus à n. 666. De excusatione per iuramentum decisorium, videri potest *ff.* t. 4. d. 3. n. 301.

452 Q. 93. An ille excusetur, qui creditori donavit aliquam rem, immemor debiti, v. g. si Cajus debuerit Titio 100 aureos, & postea debiti immemor totidem donaverit Titio, an censeri debeat liber debito. *R.* Negant *Salas*, *Lop. Bonac. Sanch.* l. 1. c. 13. n. 11. item *ff.* n. 304., nisi ex manifestis conjecturis colligatur voluisse habere pro soluto. *Et* contrà affirmant *Rebell.* & *Diana* p. 5. t. 13. l. 94., idemque defendit *Carden.* in 1. crisi d. 64. l. n. 24., quia Cajus præsumitur voluisse extinguere obligationem graviolem, sicuti qui ex justitia tenetur orare Horas, si oret ex mera devotione, censetur satisfacisse. Sed videtur sic distinguendum, si ita fuit comparatus, ut quamvis fuisset immemor debiti, nihilominus donare voluisset hoc, & postea solvere alterum, tenendum est cum prima sententia; si autem tum non donasset, sed dedisset pro soluto, tenendum est cum secunda; id autem colligendum est ex circumstantiis, consideratâ causâ nunc tradendi. *Si dicatur*, debito certo non satisfieri solutione tantum probabili, qualis hæc est: *Respondet Carden.*, debito certo satisfieri posse solutione tantum probabili probabilitate juris, licet non probabili tantum probabilitate facti; tum autem solutio est

est probabilis probabilitate facti, quando non est certum, sed tantum probabile, id esse præstitum, quod secundum se est æquale debito; è contrà tum solutio est probabilis probabilitate juris, quando certum est hoc esse præstitum, quod secundum se est æquale debito, sed tantum probabile est præstationem illam esse veram solutionem debiti: per hanc solutionem probabilem docet *Carden.* satisfieri debito certo, non autem per illam, si enim probabilitas cadat supra speculationem facti, sive supra traditionem 100 aureorum, cum hoc factum traditionis sit incertum, non potest extinguere debitum certum, è contrà si traditio sit certa & probabilitas tantum cadat supra æqualitatem reparatam vi istius traditionis, cum jam probabile sit per traditionem illam haberi æqualitatem justitiæ, hoc videtur satis esse ad delendum debitum certum: & hæc videntur conformiter dici ad illa, quæ retulimus l. 1. à n. 600. Vide tamen dicenda n. 571.

Q. 94. An excusetur, qui solvit creditori credito- 453  
vis. R. §. 1. *Med. Silv. Ang. Valent. Less. Dicast. d.*  
10. n. 120. absolutè dicunt me pro foro consci-  
entia liberari, si solvam creditori mei creditoris:  
quod verum est, si debita sint ejusdem rationis,  
nec sit alius creditor præferendus, quia tum  
solvendo creditori tuo acquiro jus, quod habet  
creditor tuus contra te, atqui hoc jus, & illud,  
quod tu contra me habes, sunt æqualia, uti sup-  
pono, ergo jam inter jura illa est posita compen-  
satio sive æqualitas: *Bartolus* tamen dicit pro fo-  
ro externo non valere, nisi vel res, quam solvo,  
sit aliquo modo oblig. ta creditori tuo, uti si con-  
duxi à te domum, quam tu conduxisti ab illo, res

T 2

enim

enim meæ sunt pro locatione hypothecatae domino domus; vel nisi propter me, v. g. gerens mea negotia, factus sis debitor illi, hinc *Mol. T. 3. d. 743. n. 2.* universaliter dicit pro foro etiam externo valere, quando etiam aliquo modo obligatus creditori tuo, quoad id, quod solvo.

454 §. 2. Etiam liber sum solvendo creditoris mei creditoris, si ille, cui solvo, licite posset facere compensationem occultam in bonis meo creditoris, ita *Ang. Silv. Med. Mol. Rebel. L. ff. quod Lugo d. 21. n. 146.* docet valere etiam pro foro externo, quia tantum cooperor ad justam compensationem, quæ etiam in foro externo reprobari non potest, secundum dicta p. 1. à n. 959. Videri potest *7lls. t. 4. d. 4. à n. 288.*

455 Q. 95. An per compensationem extinguatur obligatio restituendi. R. §. 1. Compensatio hic definitur, debiti & crediti inter se contributio, L. 1. ff. De compens. estque tum, si duo sint sibi mutuo debitores, uti si tibi debeam 10. aureos propter emprum pannum, & tu totidem mihi debeas, quia injuste causasti damnum.

§. 2. Extra casus in Jure exceptos, si debitum sit utrimque æquale, per compensationem extinguatur obligatio restituendi, ita ut nec Judicis nec oppositæ partis consensus requiratur, L. *ambo, ff. supra, L. ult. Cod. De compens.* Idem dicit *Dicast. d. 9. à n. 120.*, si duo similibus damnis aut convitiis se affecerint, si enim Cajus restituere nolit Titio, nec tenebitur Titius restituere Cajo, sed illa debita se mutuo compensabunt. Excipiuntur autem in Jure, 1. Debita Regi vel Reipublice titulo pensionis in publicam utilitatem, L. *In ea, Cod. supra.* 2. Debita titulo depositi, L. *ult. Cod. supra*

suprà, L. Si quis vel pecunias 11: Cod. Depositi.  
 Cap: Bona fides. De deposito. 3. Debita titulo com-  
 modati, L. fin. Cod. De commodato: circa ista ta-  
 men vide dicta p. 1. n. 964. 4. Res aliena, debi-  
 ta ex furto, L. fin: Cod. De compens. 5. Debita di-  
 versæ rationis, si enim uni sit res in certa specie  
 debita, non satisfit solutione pretii vel alterius  
 rei, quia injustè cogeretur permutare rem suam;  
 licebit tamen per retorsionem non solvere, do-  
 nec ipse vicissim solvat, L. Si non sortem. §. Sicen-  
 tum, ff. De condict. indebiti. Videri possunt Mol.  
 d. 560. Castrop. d. 1. p. 16. §. 2. & 3. Dicast. d. 10.  
 à n. 117. ff. t. 4. d. 3. an. 290.

Q. 96. Quid notandum sit circa remissionem cre- 456  
 ditoris, assignationem debiti & transactionem. R. §. 1. Si  
 creditor remittat, debitor liberatur, quamvis  
 debitor esset in ea dispositione animi, quòd nol-  
 let solvere, si non remitteret, Med. Mol. Less.  
 Lugo d. 21. n. 48. Dicast. n. 108. Quod valet,  
 etiamsi fingeret animum restituendi, quem ta-  
 men non haberet, quia hæc fraus non est causa  
 remissionis, nec facit actum creditoris involun-  
 tarium, Lugo Sanch. de Matr. l. 4. d. 9. n. 17.

§. 2. Si creditor compositionem iniit cum 457  
 debitore, qui cedit foro, ut parte remisâ aliquid  
 accipiat, talis remissio censetur coacta & condi-  
 tionalis, unde debitor meliori fortunæ redditus  
 tenebitur reliquum dare, poteritque creditor id  
 exigere, Less. in auët. v. Restit. cas. 4. Idem est di-  
 cendum, si partem remisit, quia cogebatur sub-  
 ire multas molestias in petendo, sollicitando,  
 sæpe frustra veniendo, diu expectando, item si  
 per fraudem inductus est ad remittendum, uti  
 si debitor finxit se pauperiorem, aut alia falsa

motiva attulit, aut aliter coëgit, *Dicast. d. 10 n. 102.*; quod tenet, quamvis per tertium aliquem esset ejusmodi metus vel fraus facta, qui creditor non consentit liberè, *Dicast. n. 107. contra Silv. & Sayrum.*

458

§. 3. Si debitor nunc offerat partem, ut si adducat creditorem ad reliquum remittendum, *Bonac.* dicit in conscientia liberari, sed distinguendum est cum *Sanch. supra & Lugo n. 49.*, enim tota illa pars fit tum debita, & creditor id eo consentiat remissioni, ut saltem illam partem accipiat, alioquin non consensurus, non liberatur debitor, imprimis quia remissio non est creditori voluntaria & juridicè libera, deinde qui partem sine onere debitam cogitur acceptare cum onere: si autem offeratur pars major, quam nunc fit debita aut creditor ex affectu erga debitorem, reliquum remittat, aut ideo remittat quia debitor nunc pauper est, liberatur, nec tenetur supplere, etiam si postea redeat ad meliorem fortunam, *Nav. Silv. Sayr. Dicast. n. 110. contra alios.*

459

§. 4. Quando sunt multi creditores debitoris defuncti, & pars eorum major spectat à quantitate debiti, vel si debita sint æqualia, spectat à numero creditorum remittat hæredi partem debiti, ut reliquum solvat, reliqui creditores qui non habent pignus vel hypothecam in bonis defuncti, etiam consentiunt in eam remissionem, *Lugo n. 50.*

460

§. 5. Creditor pro foro externo præsumitur remisisse debitum, si illud in suis libris cancellarit, aut instrumentum debiti lacerarit: semper tamen quoad hætenus dicta supponendum est, quòd

quod remittere possit, & alteri vicissim possit remitti, nam qui donare non potest v. g. 500 aureos, etiam illos remittere non potest, L. penult. Cod. De donationibus: item quamvis pupillus tibi remittat debitum, non ideo deobligaris, quia remittere non potest, Lugo à n. 49. Similiter cui nihil donari potest, etiam nihil potest remitti.

§. 6. Si Episcopus visitans Ecclesias, ab eis <sup>461</sup> aliquid accipiat præter sumptus tum necessarios ad victum, tenetur ad duplum intra mensem: item si Judex delegatus accipiat aliquid à partibus præter victualia, quæ paucis diebus possunt consumi; aut quando aliò proficiscitur, si accipiat aliquid præter moderatas expensas pro via; aut si accipiat à partibus notabiliter pauperibus: item si Canonicus absens ab Horis accipiat distributiones, omnes illi tenentur restituere, non obstante qualibet remissione eorum, à quibus acceperunt, vel quibus talis pecunia accresceret, uti habent Jura apud Lugo n. 51.

§. 7. Quando quis putat, si per se vel per ali- <sup>462</sup> um manifestaret suum debitum, vel rogaret, quod dominus liberaliter condonaret vel nollet obligare ad restitutionem, non tenetur restituere, Regm. Sa, Less. Lugo à n. 53. Burgh. cent. 3. cas. 85. Dicast. n. 113., qui addit non teneri restituere, qui aliquid accepit, quod si petiisset, ei datum fuisset; Ratio est, quia tum adest voluntas præsumpta domini, sufficiens ut retentio non fiat illo quoad substantiam invito: quod si revera esset invitus, & id postea resciretur, esset restituendum, sed non esset obligatio resarciendi damna ex dilatione restitutionis orta, Mol. r. 3. d. 68. n. 3. Si tamen dubitetur, an dominus, si



sciret, esset remissurus, est obligatio petendi, ut remittatur, vel restituendi, quia dominus est in possessione.

- 463 §. 8. Assignatio debiti in Jure vocatur delegatio; delegare autem est, vice suâ alium dare reum creditori, vel cui jusserit, L. *Delegare*. ff. *De novationibus*, & ad delegationem sufficit, si quis ex quacunque causa etiam erronea in se recipiat veram alterius obligationem, uti pluribus probant *Mol. Castrop. Haun. Jlls.* t. 4. d. 3. n. 286., potestque videri etiam *Onnate de contract.* d. 21. sect. 10.
- 464 §. 9. Transactio definitur, pactio non gratuita, de re dubia, lite aut controversiâ jam motâ: liberat ab ulteriore restitutione, sed transigens non debet esse certus rem alteri esse debitam aut adjudicatam per sententiam, à qua non detur justa appellatio, L. *In summa*, 65., ff. *De conditione indebiti*, L. *Sub pretextu*, 29. Cod. *De transactionibus*: Quod si unus sine onere cedat præensione suâ, non erit transactio sed amicabile compositio. Videri possunt Auctores citati *Jlls.* n. 284. Item dicenda n. 629. & 759.
- 465 Q. 97. Si debitor morte plectatur, an hæredes excusentur à restitutione damni causati per delictum, ob quod plectitur. R. Affirmant *Scot. Salon.* & alii, si morte plectatur ad instantiam partis læsæ, quia tum videntur voluisse illam esse pro omni compensatione injuriæ: sed oppositum est tenendum, per se loquendo, uti habet communis cum *Sporer* t. 5. c. 3. n. 236. & *Jlls.* t. 4. d. 3. n. 82. Ratio est, quia Resp., per justitiam vindictivam tantum, punit illud delictum, neque ideo præjudicat juri stricto, quod ex justitia commutativa

tativa habent damnificati aut alii creditores: si tamen non exigatur compensatio horum damnorum, propter quæ punitur, probabile est posse omitti, quia illi, quibus facta est injuria, tum censentur acquiescere & condonare, uti docent *Sot. March. Bonesp. Less. 1. 2. c. 9. d. 22. Steph. t. 4. d. 5. n. 28. Fill. & Busenb. relatus n. 296.* Item plurimi alii apud *Lugo d. 9. n. 49.*, nisi adhuc extarent, v. g. res furto ablatae, vel hæredes essent per illas ditiores facti, tum enim foret obligatio eas restituendi, uti rectè *Sporer.* Addit *Lugo* etiam tum fore, si summa restituenda esset valde gravis, vel pars læsa restitutione valde indigeret, aut ob defectum ætatis aliamve causam non posset à creditore debitum remitti.

*Q. 98. An excommunicatio creditoris vel debitoris excuset.* *R.* Aliqui apud *Lugo d. 21. n. 150 & apud Flls. t. 4. d. 3. n. 282.* affirmant, quia non est licitum agere cum excommunicato, nec excommunicatus ipse licitè agit cum aliis: & quoad creditorem excommunicatum, dicunt *Mol. & Dicast. d. 10. n. 159.* sententiam esse probabilem, sed *Castrop. tr. 32. d. 1. p. 7. §. 5.* dicit oppositum esse certum; Hinc cum communi dicendum est neutrum per excommunicationem excusari, non creditorem, quia licèt negetur actio judicialiter petendi, *Cap. Pia, De exceptionibus in 6.*, tamen permittitur privatim petere; nec prohibetur communicare cum aliis, si id exigat necessitas vel magna utilitas, uti colligitur ex *Cap. Quoniam multos, 11. q. 3.* iterumque ex *§. fin.* Addit hanc rationem *Dicast. n. 164.*, quia sicuti liberum est ipsi communicare cum domesticis suis, *Cap. Quoniam 11. q. 3. Cap. Inter alia, De sent.*

T 5                      excomm.,

excomm., ita etiam cum suis debitoribus; & ideo etiam Cap. *Siverè*, ibid. permittitur ipsi absolvere contractus inchoatos. Quòd debitorem attinet, videtur esse certum eum non excusari, hinc *Less.* & *Lugo* meritò dicunt oppositum esse omnino improbabile, nam ita definitur Cap. *Siverè*, supra; & ratio est manifesta, quia debitor potest per excommunicationem cogi ad solvendum, ergo excommunicatio eum non liberat: ideoque etiam Cap. *Intelleximus*, De iudiciis, dicitur, quòd excommunicatus in iudicio conventus teneatur comparere per procuratorem, ergo saltem per talem etiam tenebitur debitis suis satisfacere.

467 Q. 99. *An mors creditoris excuset debitorem à restitutione.* R. Si hæredem habeat, non excusat, quia hic succedit in omnia jura: si autem hæredem non habeat nec disposuerit de debito, dandum est pauperibus vel loco pio, quia jus non amisit, & censetur velle, ut, sicuti optimè potest, ei profit. Quòd si antè mortuus, postea resurgeret, & necdum esset datum pauperibus, esset ei solvendum, quia retinuit jus: imò quamvis per ultimam voluntatem dedisset tibi aliquid, tenereris reposcanti restituere, quia subintelligebatur conditio, si moriar & maneam mortuus, *Steph. t. 4. d. 4. n. 4.* Nec obstat, quòd Religiosus vel maritus reviviscens non teneretur votis aut Matrimonio, quia hic non tradidit corpus, neque ille vovit, nisi usque ad mortem.

468 Q. 100. *An & quomodo præscriptio excuset à restitutione.* R. Præscriptio quandoque idem significat, quod exceptio in contrarium, seu exclusio actionis sibi intentatæ, uti videri potest apud

pud *Dicast.* de Just. l. 2. t. 1. d. 1. dub. 12., sed non quæritur de illa in isto sensu, verum de præscriptione, prout significat certum quendam modum acquirendi dominium, de qua dicemus sequentia, 1. Quid sit. 2. An pro foro conscientia valeat. 3. An per eam acquiratur plenum dominium. 4. Quas condiciones requirat: speciatim, 5. Qualem bonam fidem. 6. Qualem titulum. 7. Qualem materiam. 8. Qualem possessionem. 9. Qualem continuationem temporis in possessione. 10. Quandonam præscriptio dicatur currere, interrumpi, dormire. 11. Quibus detur restitutio in integrum contra præscriptionem: Atque ex illis sufficienter constabit, an & qualis præscriptio excuset à restitutione.

§. 1. Præscriptio est *acquisitio juris vel domini* 469  
*per possessionem bonâ fide cum titulo & tempore debito continuatam*, ita quoad rem omnes: alio nomine dicitur usucapio; & quamvis Auctores apud *Haun.* t. 1. t. 5. à n. 155. per usucapionem aliquando intelligant acquisitionem rei mobilis vel rei corporalis, aut præcisè acquisitionem rei; è contrà per præscriptionem, acquisitionem rei immobilis, etiam incorporalis, aut etiam exceptionem legitimam fundatam in usucapione, uti habet *Mol.* t. 2. d. 60., tamen sæpe confunduntur.

§. 2. Per præscriptionem acquiritur etiam 470  
 pro foro conscientia dominium. Est communis omnium ferè Jurisconsultorum, inquit *Dicast.* n. 167., & eam nunc tenent omnes Theologi teste *Haun.* n. 164., dicitque certam *Jus.* t. 4. d. 2. n. 274.; est autem contra varios apud *Mol.* d. 61., 1. contra *Rosel.* & *Hugonem*, qui dicunt tantum  
 valere

valere pro foro externo, in quo priori domino negetur actio, eò quòd nemo debeat cum alterius jactura locupletari, uti habet Reg. 48. Juris in 6. 2. Contra alios, qui dicunt tum tantum valere pro foro conscientiae, si res fuerit possessa titulo oneroso, non autem si gratuito, quia gratia non videtur debere nocere domino. 3. Contra *Adrian. & Med.* quibus favet *Scot.* in 4. dist. 15. q. 2., qui dicunt tantum valere pro foro conscientiae, si dominus negligens fuerit in recuperanda re sua, quia si culpa nulla praecesserit, videtur injustè sequi poena privationis. Sed probatur universaliter, quia leges humanae potuerunt per dominium altum transferre jus unius in alterum accedente praescriptione, sic enim postulat bonum commune, partim ne dominia rerum sint incerta, L. 1. ff. *De usucap.*, partim ut vitentur innumeræ lites pro repetendis tuendisque dominiis, L. ult. ff. *Pro suo*; partim ut consulatur quietandis conscientiiis eorum, qui diu possederunt L. *Cum notissimi.* Cod. *De praescript.* 30 vel 40 ann., ne scilicet possessores propè immortali timore teneantur; partim ne homines in conservandis juribus suis negligentes fierent, L. *Ut perfectius.* Cod. *De annali except.* & Cap. *Vigilanti*, *De praescript.*, ergo cum leges velint per praescriptionem acquiri dominium, & sufficienter significant se illud transferre, dicendum est velle acquiri etiam pro foro conscientiae. Atque ex his facile respondetur ad fundamenta opposita: *Ad 1.* Praescribens locupletatur ex re aliena & cum jactura alterius per accidens, cum non intendit: favet autem lex justa, quæ dominium dedit. *Ad 2.* Quamvis titulus gratuitus praecesserit, tamen

men

men adhuc manent rationes justæ legis. *Ad 3.* Licet inadæquata causa ejusmodi legum fuerit punire negligentiam in tuendis suis juribus, tamen adæquata aut principalis causa non est, uti patet ex diëtis, unde ejusmodi leges non sunt simpliciter pœnales sed auctoritativæ & dispositivæ. Videri possunt plura apud *Lugo d. 7. f. 1.*

*Objicitur* adhuc, 1. *Novellâ 9.* dicitur, quòd 471  
præscriptio sit impium præsidium, ergo non valet pro foro conscientiæ. *R.* Multi apud *Hann. n. 166.* dicunt *Novellam* illam esse supposititiam, sed dato esse genuinam, dicendum est loqui de illis temporibus, quibus præscriptio currebat etiam cum mala fide, cum qua pro foro conscientiæ non acquiritur dominium, uti dicitur n. 480.

*Inst.* Absurdum est dicere cognitionem, quam cras habebò de eo, quòd res sit aliena, non impedire me in conscientia, quòminus rem illam retineam, & tamen me heri impedivisse, si hodie priùs compleam tempus præscriptionis, ergo. *R.* *N. anteced.*, nam tempore præscriptionis completo in bona fide, putando rem esse meam, hoc ipso res per dispositionem legum facta est mea, ergo retinere possum; si autem heri cognovissem esse alienam, malâ fide perrexissem eam velle usque hodie habere tanquam meam, ergo non complevissem tempus præscriptionis cum bona fide, ergo leges, quæ bonam fidem supponunt per totum tempus, quo currit præscriptio, non transtulissent in me dominium.

*Obj. 2.* Si Judex tulerit sententiam materia- 472  
liter injustam, is, in cujus favorem tulit, tenetur restituere, quando apprehendit fuisse injustam,  
ergo

ergo etiam is, qui præscripsit, cum deprehendet rem fuisse alienam. & N. conseq., Judex non confert jus, sed tantum declarat, quis videatur habere jus; leges præscriptionum conferunt jus.

*Instab.* Qui emit rem infra justum pretium, non tamen ultra dimidium, per leges est securus in foro externo, non tamen in conscientia, nec acquirit jus, sed tenetur restituere, ergo etiam, qui secundum leges præscripsit. & N. conseq., leges conferunt jus tali præscribenti, non autem tali ementi.

473 *Obj. 3. Trident. sess. 25. c. 19. De Regul. statuit, ut elapso quinquennio præscriptum sit contra Religiosum dicentem se professum esse propter vim vel metum aut cum defectu ætatis, neque tamen Religiosus tenetur in conscientia remanere, si certus sit se vi vel metu coactum, ergo similiter hic. & N. conf., disparitas est, quod lex humana possit transferre dominium ab uno in alterum, è contrà non potest facere aliquem de non Religioso Religiosum, cum ad hoc requiratur consensus proprius & liber Religiosi ipsius, quem Ecclesia supplere non potest: hinc*

474 *Inferes, Si rem legitime præscriptam restituerem alteri, è quod rescirem fuisse ipsius, ideoque putarem me debere restituere, hoc non obstante possem illam iterum repetere, quia fuit mea, neque volui abdicare à me, nisi quia putavi esse alienam, ergo cum aliena non esset, adeoque error dederit causam redditionis, re ipsa nolui abdicare à me dominium, ergo mansit mea, ita AA communiter cum *Dicast. à n. 2-3. contra Tholosanum.* Atque idem est, si solvissem aliquid putans me debere, cum tamen non deberem, uti rectè*

rectè *Haun.* n. 176. *Nec obstat*, quòd ignorantia juris non juvet, nam hoc verum est, quando agitur de acquirendo dominio, non autem quando de conservando, sic enim dicitur L. 7. ff. *De juris & facti ignor.*, *Juris ignorantia non prodest acquirere volentibus, suum verò petentibus non nocet.* Vide dicenda n. 484. Item *Gormaz* à n. 668.

§. 3. Per præscriptionem acquiritur plenum 475  
rei præscriptæ dominium, ita cum communi *Covarr.* Reg. possess. p. 3. à n. 2. contra multos Juristas, qui dicunt saltem quoad res immobiles priùs præscribi dominium utile, quàm directum, ideoque initio non acquiri dominium plenum; sed oppositum probat *Lugo* n. 11. hoc argumento, quia tale dominium directum esset inutile: hanc rationem rejicit *Haun.* à n. 172. dicens posse in multis prodesse, v. g. ut si reliqua bona confiscarentur ob crimen, hæc res, in qua retinisset dominium directum, non caderet sub confiscationem; item ut prior dominus rem contra se præscriptam iterum præscriberet, bonâ fide possidendo ut suam vi domini directi &c. Itaque probatur aliter, 1. Quia leges absolutè dicunt per præscriptionem transferri dominium, ita ut præscribens acquirat plenissimam securitatem circa dominium, L. 4. Cod. *De præscript.* 30 vel 40 ann., atqui hoc non esset, si prior dominus retineret dominium directum, ergo. 2. Quia sic non obtineretur finis intentus à legibus, nam adhuc incerta manerent dominia directæ, nec vitarentur lites, nec quietæ redderentur conscientiæ.

Objici potest 1. quòd L. 13. ff. *De jurejurando* 476  
dicatur, eum, qui juravit debere post præscriptionem, habere etiam utilem actionem. *§. Lex*

*non*



non favet adversariis, nam cum dicat non nudè utilem, sed, etiam utilem actionem, potius supponeret dominium directum jam antè esse acquisitum, quod tamen adversarii negant: itaque per actionem utilem intelligitur actio efficax, quæ rem efficaciter sibi vendicet, in quo sensu etiam sumitur Tò utilis actio L. 1. §. ult. ff. De aqua pluvia arcenda, & L. 10. ff. Si servitus vendicetur.

477 *Obji.* 2. Priori domino adhuc convenit exceptio, idest, exclusio actionis contra præscribentem, ergo retinet aliquod dominium. R. N. antec., nam si agat, semper succumbit, ergo ei non convenit vera actio sed tantum apprens.

478 §. 4. Ad præscribendum requiruntur hæc quatuor conditiones, 1. Bona fides. 2. Titulus. 3. Res apta præscribi. 4. Possessio continuata per tempus statutum, uti his verbis significatur; *Non usucapies, quatuor nisi talia subsint; æqua fides, justus titulus, res non vitiosa, tempore præscripto possessio continuetur.* Contendunt quidem aliqui Juristæ requiri etiam traditionem, sed contra est, quia hæc non requiritur ratione sui, sed quia sine illa non esset vel bona fides vel titulus vel possessio, uti rectè *Haun. n. 176.* Nunc quatuor illæ conditiones sunt ordine explicandæ.

479 §. 5. Circa bonam fidem notanda sunt sequentia, 1. Bona fides hîc, est conscientia bona vel iudicium practicum saltem probabile, quod res, quam incipis possidere, sit tua, seu quod hîc & nunc alteri non facis injuriam rem talem tenendo vel tale quid permittendo: hinc si res apud te fuisset deposita, & tu factus hæres deponentis, nescires esse tuam, quamvis longissimo tempore apud te esset, non præscriberes, quia non

non haberes veluti tuam ; ideóque etiam licet ignorantí possit acquiri possessio , tamen non ideo curreret præscriptio , quia ad hanc requiritur scientia & voluntas habendi rem tanquam suam seu habendi jus aliquod in ea , uti clarè innuitur L. 1. Cod. De acquir. possess. his verbis, *Per liberam personam ignorantí quoque acquiri possessionem, & postquam scientia intervenerit, usucapionis conditionem inchoari posse, tam ratione utilitatis quàm juris, prudentiâ receptum est; atque ita etiam cum aliis docet Haun. t. 3. n. 238.*

2. Cum mala fide nunquam præscribitur, ne-<sup>480</sup> quidem per tempus immemorabile, unde ut præscriptio incipiat currere, præire debet bona fides & continuari. *Nec obstat, quòd jus civile apud Haun. t. 5. n. 182. ad præscriptionem ordinarii temporis requirat bonam fidem tantùm ab initio, quamvis postea superveniat mala; ad præscriptionem autem longissimi temporis nequidem ab initio requirat bonam fidem, nam in hoc correctum est à jure Canonico, uti constat ex Conc. Lateran., cujus hæc verba referuntur Cap. fin. De præscript. Quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est, Synodali judicio definimus, ut nulla valeat absque bona fide præscriptio tam canonica quàm civilis, cum generaliter sit omni constitutioni & consuetudini derogandum, quæ absque peccato mortali non potest observari, unde oportet, ut qui præscribit, in nulla temporis parte habeat rei alienæ conscientiam. Idem habetur in hac Reg. 2. Juris in 6., Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit. Quæ omnia valent pro toto orbe & pro omni genere præscriptionum, uti pluribus ostendit Haun. à n. 188.*

3. Si ab initio dubites negativè, idest, non ha-<sup>481</sup>bens

Tom. III.

V

bens

bens rationem positivam saltem probabilem iudicandi, quòd res sit tua, non habebis bonam fidem pro inchoanda possessione, quia expones te periculo faciendi injuriam: poteris tamen velle possidere animo conditionato, si nempe non sit res aliena, nec ab alio possideatur, *Lugo n. 20.*; sed hæc possessio non sufficiet ad præscribendum, quia si res fuit aliena, noluiti possidere, ergo non possedisti; si autem fuit tua, non indigebas præscriptione, *Covar. Med. Molin. Less. Laym. Castrop. Lugo N. 22. flls. n. 297.*, possuntque videri dicenda n. 562.

482

4. Si bonâ fide incepisti possessionem, & superveniat dubium, an res sit tua, teneris inquirere; quòd si non comperias esse alienam, potes insistere possessioni, uti dicitur n. 563. ficque præscribes, *Molin. Less. Lugo N. 17. Dicast. N. 197. flls. N. 298.* contra *Adrian. & alios*: Ratio est, quia cum melior sit conditio possidentis, potes habere ut tuam: favetque huic sententiæ *Cap. Si Virgo, 34. q. 1. & Cap. fin. De præscript.* uti videri potest apud *flls. à n. 298.* Notat autem *Dicast. N. 195.* præsumi aliquem incepisse bonâ fide, quia delicta non præsumuntur: excipit tamen, nisi contra jus commune acquisiverit possessionem, vel possessionis suæ titulum non possit afferre alium, quàm longo tempore pacificè possedisse, pro quo remittit ad *Abb. in Cap. Si diligenti n. 15. De præscript.* Vide dicenda n. 567.

483

5. Si prior possessor, à quo rem accepisti per donationem, emptionem &c., bonâ fide possederit, tu autem ab initio dubites, an sit aliena, teneris inquirere; si post inquisitionem non possis deponere dubium, potes pergere possidere, quia  
acqui-

acquisivisti jus, quod habuit prior possessor, sed hic suborto dubio potuisset pergere possidere, ergo & tu poteris, nam non incipis simpliciter possessionem, sed continuas bonâ fide inceptam; *Lugo n. 64.*

6. Si bona fides tua sit orta ex invincibili ignorantia facti vel juris non manifesti, sufficiet ad præscribendum; si sit ex ignorantia juris manifesti, communior sententia est cum *Molin. d. 64.* non sufficere, saltem in illis personis, in quibus non toleratur ignorantia juris manifesti (tolerari solet in milite & minorenni, quandoque etiam in muliere & rustico, *Dicast. n. 203. Haun. n. 197.*) Ratio est, quia leges, à quibus est rota vis acquirendi Dominium per præscriptionem, absolutè dicunt ignorantiam juris non juvare, uti constat ex *L. 4. 7. 8. & 9. ff. De juris & facti ignor. ac clarissimè L. 31. ff. De usucap. ubi sic dicitur, Nunquam in usucapionibus juris error possessoribus prodest: & hæc sententia est longè probabilior: oppositam tamen velut probabilem defendit *Lugo N. 33.*, ac probabilem esse fatentur *Less. Castrop. Haun. n. 195.*, nempe adhuc sufficere ad præscribendum pro foro interno quia talis procedit cum bona fide, cum non peccet; deinde quia ideo tantùm videntur leges dicere non præscribi cum ignorantia juris, quia præsumunt malam fidem, ergo si constet non adfuisse malam fidem, videtur præscribi posse, ita *Med. quod tanquam verum tenent Covar. Nav. Less. & Platel. n. 566.* saltem in præscriptione fructuum, nam in his videtur esse error facti potiùs quàm juris, error autem facti non impedit bonam fidem, uti habetur *l. 4. & 8. ff. De juris & facti ignor. Sed ad**

rationes illas facile responderetur, dicendo, quod præscriptionem requiri fidem non tantum theologicè sed etiam civiliter bonam, uti rectè *Dicaft.* n. 198., qualis non est, si fit contra leges manifestas, tum enim est civiliter mala, & hoc valet tam de fructibus quàm aliis rebus præscribendis, *Dicaft.* n. 205. Vide dicenda n. 498.

485 7. Si mala fides tua sit orta ex errore, v. g. quia putabas te furari, inchoando possessionem rei inventæ, quam tamen possessionem licitè poteris inchoare, non præscribes, uti habetur L. 32. §. 1. ff. *De usucap.* docentque *Less. Castrop. Lugo* n. 23. *Ills.* n. 31., & ratio est, quia leges absolute requirunt bonam fidem: similiter si putasti rem esse Titii, cum tamen esset Caji, sic possidendo non præscribes contra Cajum, quia licet Caji non facias formalem injuriam, tamen simpliciter es malæ fidei possessor, *Haun.* n. 180. contra *Felin.* & alios. E contra tamen si una eademque res tua, sit ob diversos titulos obligata Titio & Cajo, quamvis malâ fide intendas elidere jus Titii, si bonâ fide procedas circa Cajum, præscribes contra Cajum, quia sunt duæ diversæ actiones, & circa illam, quæ spectat Cajum, es simpliciter bonæ fidei possessor, *Haun.* n. 181.

486 8. Si possessio tua sit mala, non ratione injustitiæ, sed aliunde, v. g. quia est graviter contra charitatem vel votum, non impediet præscriptionem, quia leges per possessionem malæ fidei intelligunt detentionem rei contra justitiam, *Lugo* n. 26.

487 9. Si habeas malam fidem, v. g. respectu proprietatis fundi, sed bonam respectu ususfructus, poteris præscribere usumfructum, quia sufficit bona

bona fides respectu illius juris, quod præscribis, ita cum communi *Molin. Lugo n. 28. Haun. n. 181. Ills. n. 32.*

10. Si agnoveris rem esse alienam, & inculpabiliter omittas restituere, v. g. nihil ulterius cogitans, sed relinquens in cista tua & pergens tenere ut tuam, *Lugo n. 43.* putat præscriptionem currere, quia pergis possidere sine peccato, ergo bonâ fide: sed vix fiet, quin habeas animum, vel restituendi, & tum desines possidere, vel non restituendi, & tum incipies possidere malâ fide, unde sententia *Lugonis* vix habebit locum in praxi.

11. Si fides tua ob inadvertentiam non fit nisi venialiter mala, *Lugo à n. 37.* dicit sufficere ad præscribendum, quia qui non peccat mortaliter, simpliciter dicitur adhuc habere bonam fidem, & *Conc. Latera.* supra loquitur de solo peccato mortali, quando agit de mala fide; si autem sit ab initio graviter mala, & postea bona fides superveniat per oblivionem vel alium titulum, cujus causa sit illa prior possessio malæ fidei, non præscribes, vel saltem manebis obligatus ad compensanda omnia damna inde secuta, quia cum prior illa possessio fuerit injuria, induxit obligationem reparandi omnia damna ex illa consecuta, inter quæ esset amissio rei, quâ privaretur dominus per tuam præscriptionem: si autem aliunde superveniret bona fides, valeret præscriptio, tum enim damnum non causabitur à mala fide, quam bona fides superveniens purgasset; & satis colligitur ex hac 36. Reg. juris in 6. *Pro possessore habetur, qui dolo desit possidere.*

490 12. Hæres immediatè succedens possessori malæ fidei, siue sit persona singularis, siue communitas integra, non præscribit, quantumcumque diu cum bona fide rem illam possideat, uti cum probabiliore docent *Mol. d. 65. Dicast. à n. 212. Haun. n. 208. & 219.*, videturque ita statui §. Diutina Inst. De usucap. L. 3. Cod. Communia de usucap. L. 11. Cod. De acquir. possess. L. 11 ff. De diversis temporal. præscript. Ratio est, quia hæres per fictionem juris est una persona cum defuncto, succeditque, uti in omnia jura, ita etiam in omnes ejus obligationes, inter quas est obligatio compensandi damnum ex mala fide secutum, quod damnum afferret illa præscriptio: si tamen rem à defuncto malâ fide possessam incipiat alio titulo bonâ fide possidere, v. g. per emptionem, tenent omnes cum *Haun. n. 213.* præscribere posse, quia mala fides defuncti habet se per se accidens. Similiter mala fides Prælati non impedit præscriptionē Ecclesiæ postea possidentis, uti nec mala fides Tutoris impedit postea præscriptionem pupilli secundum dicta n. 238., quia Prælati & Tutor sunt tantum administratores, *Haun. n. 220.* Quod si hæres sit mediatas tantum, siue hæres hæredis, & hic uterque hæres possederit bonâ fide, *Accurs. Crotius, Covarr. Mol. Less. Castrop. Haun. n. 209. Platel. n. 567. Hls. n. 307.* dicunt præscribere, quia hic secundus hæres non repræsentat primum possessorem malæ fidei, sed tantum immediatam personam, cujus est hæres, à cujus tamen obligatione, quam ei reliquerat primus possessor, videtur eximi per præscriptionem bonæ fidei: quidquid sit de præscriptione, *Fachin. alii que*  
cum

cum Lugo n. 61. probabilius dicunt saltem manere obligatum, quia secundus hæres tenetur ad omnes obligationes primi hæredis, cujus personam repræsentat, ergo etiam ad hanc obligationem, quæ erat compensare damna per malam fidem defuncti causata, neque ibi est fictio fictionis, sed duplex fictio, quarum una sequitur alteram secundum dispositionem legum.

13. Qui possessori malæ fidei succedit, non 491  
tanquam hæres, sed velut legatarius, donatarius, emptor &c., potest cum bona fide præscribere, quia non facit unam cum illo personam, & censetur succedere tantum in juribus realibus, non autem in vitiis personalibus: si tamen esset res immobilis, quæ alioqui ad præscribendum requireret 10. vel 20. annos, & dominus nesciat rem illam ab altero possideri, ad præscribendum requirentur 30. anni, uti habetur Authent. *Malæ fidei*, Cod. *De longi temporis præscriptione*.

14. Ad præscribendam libertatem à servitute 492  
rustica non requiritur ignorantia juris alieni, hinc si sciam me teneri ad permittendam Titio viam per meum pratum, & Titius hoc ignorans non utatur illo jure suo, tacere possum & suo tempore præscribere, L. 10. & 13. Cod. *De servit. & aqua*: ac pluribus explicat Lugo à n. 51., cum enim non utatur illo jure suo, censetur habere pro derelicto. E contra, ut præscribam libertatem à servitute urbana, debet intervenire actus, quo agam contra jus alterius, L. 6. ff. *De servit. prædior. urban.*, ideoque requiritur invincibilis ignorantia juris alieni, nam si sciens agerem contra jus ipsius, facerem injuriam &



procederem malâ fide , ergo præscribere non possem.

493 15. Ad præscribendam libertatem à solvendo debito, requiritur bona fides, quâ credas te nihil debere, vel quâ invincibiliter ignores debitum, uti rectè *Lugo* n. 49., nam si scias debitum, quamvis inculpabiliter differas solutionem, non præscribes libertatem à debito, cum habeas animum solvendi, & tempus ex contractu vel consuetudine constitutum sufficienter interpellet, tu autem præterea teneris sponte tuâ solvere. Videri potest *Haun.* n. 193.

494 16. Præscribi potest libertas à pœna vel multa solvenda, si intra certum tempus non exigatur, quamvis scias te debere, quia non teneris tuâ sponte solvere, si non exigatur, uti habet præxis, ergo poteris habere animum retinendi, ut rem tuam, quamdiu non petitur, *Covar. Mol. Haun.* n. 183. *¶ Ills.* n. 296. Excipitur pœna privationis bonorum ob hæresin, contra quam non præscribitur, uti ex Jure refert *Lugo* n. 50.

495 §. 6. Circa titulum, notanda sunt sequentia:  
1. Per titulum intelligitur causa ex se habilis ad transferendum dominium, uti est solutio, emptio, donatio, permutatio, hæreditas, legatum, fideicommissum, prima occupatio, adjudicatio per sententiam &c., & in jure vocantur pro soluto, pro emptore, pro donato, pro hærede, pro legato &c. Similes tituli sunt, pro derelicto, pro dote, pro suo &c. de quibus plura habent *Haunold.* à N. 233. & *¶ Ills.* N. 283. Ad præscriptionem autem requiri titulum, patet ex cap. *Si diligenti*, De præscript. & ex L. 38. ff. De usucap. ratio autem est, quia alioqui non adesset bona fides.

2. Ti-

2. Titulus est vel verus vel coloratus vel ap- 496  
 parens vel præsumptus: *Verus*, tum est, si re ipsa  
 existat, uti si res sit re ipsa empta; Tum est *colo-*  
*ratus*, quando intervenit talis titulus, sed ob  
 ignoratam causam fuit invalidus, uti si res sit  
 empta; sed quia empta est infra dimidium justii  
 pretii, emptio fuit invalida; Tum est *apparens*  
 seu existimatus, si re ipsa non existit, attamen bo-  
 nâ fide putatur existere, uti si quis prudenter ju-  
 dicet rem à patre suo esse emptam, quæ tamen  
 ab eo empta non est, nequidem per invalidam  
 emptionem; Tum est *præsumptus*, quando non  
 scitur de ullo certo titulo, quo res incepta sit  
 possideri, nihilominus prudenter præsumitur  
 aliquis adfuisse.

3. Ad præscribendum non requiritur verus 497  
 titulus, si enim hic adsit, jam antecederet ad  
 præscriptionem habetur dominium, neque ali-  
 quis potest suam rem præscribere.

4. Ad præscribendum sufficit titulus coloratus, 498  
 uti cum communi docent & ex legibus pro-  
 bant *Haun.* à N. 224. & *Fls.* N. 287. Excipe,  
 nisi fundetur in ignorantia juris manifesti, quæ  
 in tali persona à jure non toleretur, secundum  
 dicta n. 484., & pluribus exponit *Less.* L. 2. C.  
 6. à n. 14. *Haun.* à n. 206. *Fls.* à n. 288., qui n.  
 291. tenet cum aliis titulum ex tali ignorantia  
 probabiliter sufficere ad præscriptionem extra-  
 ordinariam, v. g. longissimi temporis, quia non  
 impedit bonam fidem; sed de hoc dictum est cit.  
 n. 484.

5. Etiam sufficit titulus existimatus, dum- 499  
 modo non sit titulus pro emptore, *Haun.* suprâ.  
*Fls.* n. 293. & habetur L. 48. ff. *De usucap.*; Si

existimaris debere tibi, tradam, ita demum usucapio sequitur, si & tu putes debitum esse: aliud, si purem me ex causa venditi teneri & ideo tradam, hic enim, nisi actio præcedat pro emptore, usucapio locum non habet. Aliæ leges, quæ ad præscribendum videntur requirere existentiam tituli, explicandæ sunt de existentia intentionali sive bonâ fide existimata.

500 §. 6. Quando est possessio longissimi temporis, communiter præsumitur adfuisse titulus, sufficitque ad præscriptionem, uti habetur L. 4. Cod. De præscript. 30. vel 40. annor. & Cap. Ad aures, De præscript. Quod si res præscribenda esset servitus realis & continua, uti est v. g. aquæductus, sufficit tempus ordinarium cum titulo præsumpto, ubi enim adest scientia & patientia domini, præsumitur consensus, L. 10. ff. Si servitus vendicetur: In certis tamen casibus Jus non vult hoc præsumi, nisi absit præsumptio malæ fidei, uti notat Haun. à n. 230., & accedat possessio immemorialis, uti habetur cap. 1. De præscript. in 6. Attamen ex possessione longissimi temporis præsumuntur omnia solenniter intervenisse, nisi requisita esset scriptura, Barb. in collect. ad 3. decret. tit. 17. Cap. Pervenit 4. n. 3. & 4. Pirh. l. 3. t. 13. n. 34.

501 §. 7. Circa res vitiosas seu non aptas præscribi, notanda sunt sequentia: 1. Res aliquæ sunt non aptæ præscribi, vel ex natura sua, vel tantum ex dispositione Juris: sic ex natura sua præscribi non possunt res ad cultum Dei consecratæ, uti calices, templa, Monasteria, cum sint Dei, qui censetur semper possidere per suos ministros, §. 1. Inst. De usucap. & L. 9. ff. eodem tit. Item res publicæ, quales sunt viæ, plateæ, fora,

fora, pontes; & generatim, quæ debent esse communia L. 9. ff. supra; L. *Præscriptio*, Cod. De operibus publicis. Ratio autem est, quia nemo seorsim potest eorum esse dominus, imò nec seorsim possidere, quia sunt omnium. Ob eandem rationem non potest res indivisa, communis pluribus, ab uno eorum præscribi, quia semper possidetur nomine communi omnium.

2. Ad res ex natura sua non aptas præscribi 502  
reducunt *Haun.* n. 355. & *Jlls.* n. 276. servitutum hominis liberi, ex L. 9. ff. De usucap. & Inst. §. 1. tit. eodem: Ratio est, quia ad illam non videtur Reip. competere dominium altum: eò etiam reducitur jus primigenium seu fundamentale ad Decimas, quod, utpote spirituale, à laico præscribi non potest, uti habetur Cap. *Causam.* 7. De *præscript.* & Cap. 15, De *Decimis*: Imò post decretum *Conc. Lateran.* neque à laico contra Ecclesiam præscribi potest jus quasi feudale Decimarum dependens à primigenio, possunt tamen laici præscribere immunitatem à solvendis Decimis, cum titulo tempore 40. annorum, sine titulo autem immemoriali tempore, uti ex Cap. 4. De *præscript.* colligit *Jlls.* n. 276., potestque de his etiam videri *Delbene* de *Immun. Eccles.* c. 8. d. 29. sect. 2. & seqq., item *Engel* in *Manuali paroch.* p. 3. C. 1. §. 2., ubi à n. 16. docet posse jus utile decimandi etiam nunc post *Conc. Lateran.* præscribi à laico contra alium laicum, qui illud ante Concilium obtinuerat.

3. Etiam ex natura rei præscribi non potest, 503  
v. g. à simplici Sacerdote potestas delegata conferendi Ordines, tum enim per præscriptionem fieret propria, cum è contra semper exigat respectu illius esse delegata.

4. Ex

504 4. Ex dispositione juris nunquam præscribi possunt res pupillorum, L. 3. Cod. *De præscript.* 30. vel 40. annorum: item limites provinciarum, Episcopatum, parochiarum, si constet aliquando fuisse alios, Cap. *Inter memoratos*, 16. q. 4. Cap. *Super eo*, De parochiis: aliud est, si id non constet; specialiter tamen permittitur Cap. 1. *De præscript.*, ut Episcopus post triennium partem alienæ diœcesis, cujus incolas à proprio Episcopo neglectos ad fidem converterit, in præmium suæ diligentia & in pœnam incuria alterius Episcopi, suæ diœcesi adjungat, & sic censeatur quasi præscripsisse. Videri potest *Barb. de Jure Eccles.* l. 1. c. 20. à n. 28., ubi rectè notat, quamvis fines Episcopatus aut parochia nunquam præscribantur, tamen posse acquiri jurisdictionem spirituales in subditos, juxta Cap. *Ad aures*, De præscript.

505 5. Etiam ex dispositione juris, aut potiùs natura rei, præscribi non potest immunitas ab iis, quæ quis ut subditus debet Principi in recognitionem potestatis ipsius & suæ subjectionis, uti sunt tributa, correctio, appellatio ad ipsum; potest tamen subditus præscribere libertatem à gabellis, vectigalibus, contributionibus, quæ pro alia necessitate solvuntur; item à potestate temporali Principis, ut nempe desinat esse ejus subditus; & hæc quidem, cum titulo, spatio 50. annorum; sine titulo, tempore immemoriali: à Papæ tamen potestate spirituali, quæ est juris divini, nemo potest unquam præscribere exemptionem. Videri potest *Dicast.* à n. 175. & 209. qui à n. 49. examinat, an ab aliquo præscribi possit potestas imponendi tributa.

6. Alia

6. Alia etiam sunt, quæ ex dispositione Juris 506  
dicuntur non apta præscribi, quia tempore or-  
dinario non præscribuntur, sed tantum extra-  
ordinario, uti cum aliis notat *7lls. n. 277.*; talia  
sunt fundus dotalis, res immobiles minorenni-  
um, res furtivæ &c., de quibus paulò post dice-  
tur. Et ad res nonnisi tempore immemoriali  
aptas præscribi reducit *Castrop. Maioratus*, feuda  
& fideicommissa, saltem in Hispania, sed proba-  
biliter contradicunt *Less. Haun.* aliique cum *7lls.*  
à n. 278.

§. 8. Circa possessionem debito tempore 507  
continuandam, notanda sunt sequentia: 1. Pos-  
sessio dicitur à *pedum positione* in aliqua re, vel à  
*positione sedis* in re, vel à *pos*, potens, & *sessio*,  
quasi cum potestate sessio, *Lugo d. 2. f. 4.* Sumi-  
tur quandoque objectivè pro re possessa, & ita  
dicimus divitem habere multas possessiones;  
quandoque formaliter pro hoc, à quo veluti  
forma aliquis denominatur possidens & res de-  
nominatur possessa, & eo modo hìc sumitur:  
neque verò per possessionem intelligi debet sola  
detentio rei, uti baculus tenet rem, quam portat,  
hæc enim à Juristis vocatur *asinina possessio*, sed  
detentio habens speciales effectus in jure, de qui-  
bus dicitur à n. 909. soletque ejusmodi possessio  
in genere duplex distingui, nempe facti & juris;  
possessio facti est actus possidendi, abstrahendo  
an justè an injustè, secundùm L. 3. §. 5. ff. *De ac-  
quir. possess.* Juris, est jus possidendi; sic enim  
communius sumitur, quamvis aliqui dicant pos-  
sessionem facti esse possessionem sine jure possi-  
dendi, è contra possessionem juris esse posses-  
sionem cum jure possidendi.

2. Pos-

508 2. Possessio facti est apprehensio rei corporalis, corporis, animi & juris adminiculo, uti habet communis cum *Mol. t. 1. tr. 2. d. 12.* Per apprehensionem, intellige veram vel fictam; vera est, si apprehendam pede vel manu; ficta, quæ ex juris dispositione vel consuetudine sufficit, ut quis dicatur apprehendisse. Dicitur autem rei corporalis, quia rerum incorporearum, v. g. beneficii, non dicitur propriè sed quasi possessio, eò quòd non per se, sed per aliquid aliud corporeum apprehendantur: fieri autem debet corporis adminiculo, quia non sufficit animus habendi, alioquin venans feram, jam possideret; accedere tamen debet etiam animus habendi ut suam, alioquin esset nuda detentio, per hoc autem vult ut suam, quòd velit haberi pro domino & de re disponere, ac si esset dominus, quamvis fortè non sit: assistere debet etiam jus, non quòd apprehensio illa debeat semper esse justa, sed quòd jus non debeat impedire, ne tali apprehensione corporis & animi habeatur possessio, uti impedit, si laicus velit rem sacram possidere; ideo autem favet etiam injustæ apprehensioni, quia sæpe nescitur, an non sit justa.

509 3. Ad veram possessionem totius, satis est apprehendi partem, *L. 3. §. 1. ff. De acq. possess.*; imò in quibusdam acquiritur possessio, apprehendendo, non partem rei, sed aliquid aliud, sic enim possides equum apprehendendo frænum; bona mobilia defuncti apprehensâ parte domus in qua sunt, cum animo apprehendendi etiam contenta: si tamen plura non faciant unum, ut si sint plura prædia vicina, requiretur in singulis apprehensio; item requiretur apprehensio per  
totum

totum, quando capitur possessio in aliqua tantum ejus parte, uti si velis possidere servitutem viæ per fundum alienum, debes actum exercere per totam illam partem, in qua erit via, *Mol. d. 13. adducens Jura & AA.*

4. Apprehensio vera requiritur, ut acquiratur possessio rerum, quæ antea nullius erant, uti ferarum, thesaurorum, §. 13. *Instit. De rerum divis.* Item rerum vi aut clam possidendarum, v. g. rei depositæ, L. 3. ff. 18. ff. *De acq. possess.* Item rerum ab aliis possessarum, si horum consensus desit, etiam si fiat auctoritate Judicis. Excipe, nisi vi impedireris ab altero, vel ob justum impedimentum non posses verè apprehendere, tum enim sufficeret apprehendere visu, aut si non posses visu, saltem verbo, *Gom. & alii cum Mol. supra: & similem casum ex Jure Canonico affert Haun. n. 220.*

5. Apprehensiones fictæ, per quas prior possessor tradere potest possessionem, sunt, imprimis visu, uti si ex turre etiam distante ostendam arcem, volens alterum ita in possessionem ejus immittere: deinde traditione scripturæ, quam prior possessor habuit, ex qua constet de titulo & jure: præterea traditione clavium in præsentia horrei vel alterius rei, in qua res aliæ continentur: Item si prior possessor per quemcumque contractum transtulerit dominium in alterum, reservando sibi usumfructum aut constituendo se conductorem in ea, sive res præsens sit sive absens: Item, si rem meam apud te existentem in te transferam per quemcumque contractum, neque sit alius, qui civiliter eam possideat: Item, si ille, ad quem res per quem-

cum-



cumque contractum translata est, apposuerit custodiam apud illam: Item, si ille, qui rem acquirit, eam cum consensu prioris possessoris agnet, seu ei certam notam imprimat: Item, possessor in publico instrumento dicat se possidere nomine alterius, qui hoc ratum habeat: tum enim possessio dicitur tradi per clausulam *Constituti*, hoc est, per clausulam, quâ constituitur se possessorem nomine alterius: Denique per solam dispositionem legis, quæ erit loco apprehensionis; & hæc possessio à Juristis vocatur *vilissima*.

- 512 6. Possessio servitutum, si adsit verus titulus v. g. emptionis, acquiritur per usum, quo quis putat se uti iure suo, accedente scientiâ & patientiâ ejus, ad quem spectat eam servitutem dare vel impedire; item per solam immisionem in fundum, in quo est servitus, factam à domino, cum animo tradendi possessionem, nisi alius esset possessor fundi, tum enim accedere debet etiam hujus scientia & patientia. Quod si alius, quam legitimus dominus, possideat fundum, tunc ad acquirendam possessionem servitutis vel juris alterius incorporalis in eo satis est uti ejus servitutis vel iuris cum ea persuasione, quâ utens utatur iure suo, accedente simul scientiâ & patientiâ possessoris. Item satis est immissio in fundum per possessorem facta animo concedendi possessionem, licet in neutro casu adsit scientia aut patientia veri domini. Similiter si quis cum scientia & patientia illius, ad quem spectat possessionem dare vel impedire, utatur iure aliquo, v. g. eligendi aut præsentandi, comparat ejus possessionem, quamvis careat titulo, dummodo

modo faciat credens se uti iure suo: in hoc autem & superioribus casibus non debet ex circumstantiis innotescere, quòd hoc permittatur fieri pro tunc ex gratia, sed debet videri fieri ex jure, *Dicast.* l. 2. t. 1. d. 1. à n. 291. Ut autem hoc innotescat, quandoque sufficiet unus actus, quandoque plures requirentur, quod arbitrio prudentis Judicis est relinquendum, sic enim ut acquiratur possessio juris ad eligendum Episcopum, satis erit Titium Capitularem semel esse admissum, è contrà ut acquiratur possessio servitutis ad habendam viam per pratum, non sufficiet semel, nec iterum permisisse transitum, sed longè plures actus requirentur, v. g. ut per annum saltem 30. vicibus transierit: In dubio autem, an talis actio sit facta ex iure an ex gratuita permissione, putant *Faber & Dicast.* n. 292. censeri debere factam ex iure. Denique certum est apud omnes, quòd usus immemorialis faciat certam iuris possessionem, uti n. 543. dicitur. Haectenus allata deducit fuse *Mol.* d. 14. adductis legibus & AA.

7. Possessio facti, ex parte modi possidendi, alia est iusta, alia iniusta, uti antè dictum est; iniusta, alia est bonæ fidei, si possidens putet se habere ius & tamen non habeat; alia malæ fidei, si sciat se non habere ius: deinde ex parte tituli alia dicitur colorata, pro qua est titulus aliquis saltem verisimilis & non apertè nullus; alia non colorata, cujus titulus est apertè nullus. Colorata, pro varietate titulorum subdividitur in varias species, v. g. in possessionem pro empto, pro hærede &c., si nempe acquisita sit titulo emptio-  
nis vel hæreditatis: potestque eadem res pluri-

bus titulis possideri, uti si possideas ut hæres il-  
lius, qui emerat, L. 3. §. 4. ff. *De acquir. possess.*

514 8. *Possessio facti alia est naturalis, alia civilis; naturalis est, quâ quis corpore & animo inssistit rei, sive justè sive iniustè; civilis, quâ quis possessionem naturalem adeptus, quamvis actu non corpore, tamen animo, saltem habitualiter inssistit rei, L. 6. ff. De acquir. possess., v. g. Titius possidebat domum, sed relinquens vacuam abiit Romam animo revertendi in illam; interim Caius ingreditur in eam animo habendi ut suam, hic Caius acquirit possessionem naturalem, quam Titius amisit, licet retinuerit civilem, quousque revertens non admittatur iterum ad possessionem naturalem, vel suspicans se non admittendum desinat velle iterum occupare, & tum Caius incipiet possidere etiam civiliter. Sola autem civilis possessio dicitur simpliciter possessio, unde intermedio tempore solus Titius erat simpliciter possessor, Caius tantum cum addito, naturalis: potest tamen aliquis per se civiliter possidere aliquid, per alium naturaliter, uti dominus per se civiliter possidet prædium, per villicum naturaliter, & tum etiam dicitur perfectè possessor; perfectissimè autem, si ipsemet & civiliter & naturaliter possideat, nimirum cum adminiculo animi & iuris etiam actu corporeo detinendo rem velut suam. Ex his patet idem posse possideri ab uno naturaliter ab altero civiliter, L. 3. ff. *Uti possidetis*, probatque pluribus, *Haun. à n. 213. Nec obstat*, quòd L. 3. §. 5. *De acquir. poss.* dicatur plures non posse possidere idem in solidum, nam lex illa tantum loquitur de possessione eiusdem generis, & re ipsa tantum negat*

apud

apud duos posse esse in solidum possessionem naturalem.

9. Possessio iuris in communiore acceptione 515 sumpta, est ius insistendi rei tanquam suæ, non prohibita possideri, *Bartol.* aliique communiter. Dicitur *jus*, per quod differt à mera possessione facti, quæ abstrahit, an fiat cum, an sine iure. *Insistendi rei*, id est, tenendi rem & utendi remediis iuris contra volentem impedire. *Rei tanquam suæ*, id est, nomine proprio, ita ut tenere possit & velit tanquam ad se pertinentem. *Non prohibita possideri*, id est, quam nulla lex prohibeat teneri & defendi tanquam suam; quod additur claritatis causâ, nam hoc sufficienter includebatur in *Tò jus*, cum non sit jus ad aliquid lege prohibitum. *Dixi*, in communiore acceptione sumpta, nam si sumatur pro ipsa possessione, quæ postea jure habetur, eò quod præcesserit possessio facti, rectè ex *Mol. d. 17. definiunt eam Dicast. n. 62. & Maurus de Just. q. 172. insistentia actualis aut quasi habitualis in re aliqua, proveniens ex apprehensione corporis, animi & juris adminiculo*; unde possessio facti rectè dicitur casualis, è contrà possessio iuris est veluti formalis, quia apprehensio rei causat jus ei insistendi, & est via, quâ venit ad justam possessionem, ideoque etiam qui ita apprehendit rem, dicitur capere possessionem, & postea, si adsit bona fides, resultat ius illam retinendi, si autem absit bona fides, non est propriè jus, sed tantùm quædam potestas detinendi, non positivè firmata, sed tantùm non irritata per leges, estque tantùm quædam possessio habitualis facti, *Palav. de Just. n. 114.* Quòd si quis per possessionem iuris intelligeret

possessionem per leges non irritatam, abstrahendo an sit iusta an iniusta, posset definire, quod sit potestas insistendi rei tanquam sue vi interdictorum possessoriorum, de quibus dicitur n. 711. Advertit tamen *Platel.* n. 533. possessionem de se injustam, v. g. quam habet fur respectu rei furtivæ, dici posse ius insistendi, non contra dominum sed alios, contra quos ius habet eam tenendi, ne si hi alii rem destruant, ipse patiatur damnum valoris. Porrò hæc possessio iuris per hoc distinguitur à dominio, quòd dominium sit potestas absolutè disponendi de re, possessio autem iuris tantùm dicat potestatem tenendi rem & se tuendi contra volentes invadere.

516 10. Quivis ratione utens potest acquirere possessionem per seipsum vel per alium, quamvis de hoc non sciat, L. 3. §. 12. L. 4. L. 9. ff. & L. 1. Cod. De acq. possess. Ratione non utens etiam potest per alium nomine ipsius agentem, *Haun.* n. 234. Quòd si ille alius non possit sibi sed alteri tantùm acquirere, uti servus tantùm potest domino, quamvis vellet, non acquireret sibi sed domino, L. 15. ff. ibid.; Posset tamen, si ita vellet, acquirere alicui tertio, L. 1. §. 19. ibid. Qui autem potest sibi, ut acquirat alteri, debet hoc velle, ibid. §. 20., sed ut quis, qui non potest sibi, acquirat alteri possessionem, debet hæc esse iusta, *Instit.*, Per quas personas, L. 24. ff. De acq. possess. De emolumentis possessionis, vide *Haun.* n. 201.

517 11. Possessio amittitur solo animo non possidendi; si tamen possidens esset pupillus vel furiosus, requireretur consensus tutoris aut curatoris: quòd si quis ideo possessionem dimittat, ut  
alius

alius habeat, si hic non acquirat, prior retinet, quia inerat conditio, si alter acquirat, L. 34. ff. supra: debet autem animus externè manifestari, nam licèt L. 3. & L. 17. ibidem dicatur possessionem solo animo amitti, intelligitur, manifestato, uti rectè *Suar. Lugo d. 23. n. 59. Dicast. l. 2. t. 4. n. 72.*; hinc L. 8. ibidem dicitur, *Quemadmodum nulla possessio acquiri nisi animo & corpore potest, ita nulla amittitur, nisi in qua utrumque in contrarium actum est*; Ratio est, quia cùm consistat in facto seu intentione externa, debet externè supervenire aliquid, ratione cujus dicatur non amplius tenere. Deinde si res immobilis absente priorè possessore ab alio fuerit naturaliter possessa, & prior iterum volens ingredi possessionem repellatur aut urgere desinat, hic amittit possessionem: item si res immobilis à mari vel flumine ad longum tempus occupetur, illius possessio amittitur: item si res mobilis ab alio apprehendatur, v. g. à fure, animo possidendi, licèt dominus ignoret, amittit possessionem; si tamen quis rem apud se depositam sic furetur, qui deposuit, priùs non amittit possessionem, quàm depositarius eam loco moveat, animo sibi usurpandi: quòd si res mobilis perdat, licèt à nemine sit occupata, perditur ejus possessio, excepto servo, cujus possessio civilis non amittitur, quamvis auferat, donec ab alio occupetur vel diu se gerat pro libero, nisi esset captivitate servus: si tamen res alia mobilis adhuc re ipsa sit in nostra custodia, sed non occurrat, quia indiget diligentiori inquisitione, v. g. est in quodam angulo domus, ita ut non statim videatur, retinetur possessio. Præterea possessio animalium, v. g. bovis, amit-

titur, quando custodiam nostram evaserunt, & diligenter perquisita non reperiuntur, etiam si nemo occupaverit: similiter possessio piscium, avium & ferarum, quæ à nobis captæ sunt & fuerunt possessæ, amittitur, quando manus & custodiam nostram effugiunt, & suæ libertati sunt redditæ, nec habent consuetudinem redeundi, secundùm dicta n. 264. Pro his omnibus citantur leges & AA *Mol.* d. 15. & *Haun.* à n. 245.

518 12. Non ideo amittitur possessio, quòd quis habens possessionem exerceat aliquem actum precariò, v. g. si petat veniam transeundi per pratum, per quod habet transeundi possessionem, quia non ideo vult se abdicare possessione, sed potest hìc & nunc petere veniam ex alio fine, *Haun.* n. 225. Similiter possessio, quæ per Cajum capta est pro Titio ignorante, non ideo amittitur, quòd Cajus fortè moriatur, etiam antequam Titius resciat possessionem sibi esse captam, L. 12. Cod. De acq. poss. Quòd si Titius per seipsum naturaliter possidens fundum ita discedat ab eo, ut nequidem sit vicinus illi, nec in conspectu habeat, amittit naturalem possessionem & retinet solam civilem; è contrà si naturaliter possideat per alium, v. g. per colonum, servum, procuratorem, quamvis hic ita discedat, ut nec maneat vicinus nec in conspectu habeat, Titius retinet possessionem civilem & naturalem, L. 31. 40. 44. ff. De acquir. possess. Rationem disparitatis dat *Haun.* n. 244., quia si, v. g. colonus ita discedens amitteret naturalem possessionem, cum civilem non habeat, hoc ipso nihil competeret illi contra iniustum invasorem, adeoque nec interdictum, unde vi, de quo dicitur

tur

turn. 711., hoc enim favet possessioni saltem civili, ut recuperetur etiam naturalis.

§. 9. Circa continuationem temporis ad præ- 519  
scribendum requisiti notanda sunt sequentia, 1.  
Tempus in Jure aliud dicitur *breve*, quod est in-  
fra 10. annos; aliud *longum*, quod inter præsentis  
est saltem 10., inter absentes saltem 20. anno-  
rum; aliud *longissimum*, quod est saltem 30. an-  
norum.

2. Præsentes in hac materia dicuntur, qui ha-  
bitant in eodem territorio; absentes, qui in di-  
verso, uti probabilius dicunt *Mol. Less. Lugo n.*  
*67.*, quamvis *Platel. n. 563.* dicat secundum ius  
commune præsentis censeris, qui sunt in eadem  
provincia, absentes qui in diversa, & ita habetur  
L. ult. Cod. De *longi temp. præscript.*, docetque  
etiam *Dicast. n. 227.*, etiam si res, inquit, quæ u-  
sucapiuntur, sint alibi, uti expressè habetur L.  
12. *suprà.*

3. Tempus *immemoriale* dicitur, cujus nesci- 520  
tur initium, five, *cujus origo memoriam excefferit*,  
ut habetur L. 3. §. *Ductus aquæ*, Cod. De *aquæ*  
*quotid. & æstiv.*; hinc secundum *Dicast. n. 245.*  
*Ills. n. 329* & alios, non dicitur tempus imme-  
moriale, si initium possessionis possit cognosci  
per instrumenta authentica aut ex continua tra-  
ditione hominum; non obstat tamen, quod  
contrarium possessionis possit probari, dum-  
modo hujus ultimæ possessionis non possit o-  
stendi initium, hinc *Nav. Mol. Engel n. 11. Laym.*  
*l. 3. t. 1. c. 8. n. 15. Dicast. n. 246.* rectè dicunt  
non obstare possessioni immemoriali, si constet  
alium ante annos 200. aut 300. possedisse, dum-  
modo nesciatur initium præsentis possessionis;  
X 4 nesciri



nesciri autem hoc initium, probatur per testes senes, seu annorum saltem 48., uti volunt *Mol. & Castrop.*, quamvis *Vasq.* & alii cum *Dicast.* putent satis esse, si sint majores 40. annis, qui deponant de 40. annis, & dicant se semper vidisse & audivisse rem ita esse, quòdque fuerit communis semper opinio & fama de hoc, ita ut non exstet memoria contrarii: & quamvis *Covarr. Mol. Engel* n. 12. aliique multi dicant ad possessionem immemoriam non requiri certum numerum annorum, tamen putant requiri plures quàm 100., quia *Cap. Si diligenti, De prescript.* dicitur, quòd centenaria possessio requirat titulum, ex quo videtur colligi, quòd possessio immemorialis, quæ titulum non requirit, postulet plures annos quàm 100. Nihilominus 100. anni habentur veluti tempus immemoriale, quia ordinariè sunt summum vitæ humanæ, adeoque videntur superare hominum memoriam, *Lott. de re benef.* l. 2. q. 7. n. 59., ubi notat n. 62. respectu centenariæ possessionis decem vel undecim menses, qui fortè deficiunt, censeri dies paucissimos, ideoque non obstare tantillum defectum.

521 4. Si certum tempus requiratur ad alias præscriptiones v. g. 10. annorum, putat *Sanch.* in *Confil.* L. 2. C. 1. D. 28. numerari debere à momento ad momentum, & non tantum à die ad diem inceptum: è contrà *Dicast. & Haun.* T. 3. n. 266. cum communiore tenent oppositum, probatque *Haun.* ex variis legibus, quarum alias in speciem contrarias explicat: sic autem habetur in *Codice* l. 7. tit. 39. L. 7. §. 6. *In his etiam promissionibus vel legatis vel aliis obligationibus, quæ dationem*

tionem per singulos annos vel menses aut aliquod singulare tempus continent, tempora memoratarum præscriptionum, non ab exordio talis obligationis, sed ab initio cujusque anni vel mensis vel alterius singularis temporis computari manifestum est.

5. Res præscribendæ sunt, vel mobiles, id est, 522  
quæ aut se ipsas movent, uti animalia, aut loco moveri possunt, uti pecuniæ; vel sunt immobiles, uti agri. Ad mobiles reducuntur debita & actiones ex rebus mobilibus competentes, quia accessorium sequitur principale, docetque *Dicast.* cum aliis multis fructus etiam esse res mobiles, quod cum *Molin. & Sanch.* asserit etiam de fructibus beneficiorum, quia etiam si ex re immobili proveniant, sunt tamen in se quid mobile. Ad immobiles reducuntur census, annui redditus, usus-fructus, beneficia, jus-patronatûs, servitus &c. item debita & actiones ex rebus immobilibus competentes aliaque jura ad illas spectantia.

6. Ad præscriptionem cujusunque rei requiritur possessio Juris, uti constat ex Reg. 3. juris in 6., & L. 25. ff. *De usucap.*, requiritur autem & sufficit sola civilis, hinc si naturaliter possideas rem, quam alius adhuc civiliter possidet, non præscribes, uti habet communis cum *Dicast. n. 172. & flls. à n. 309. contra Vasq.* 523

7. Ut præscribas, debes rem possidere nomine tuo, hinc non potest feudum præscribi à Vassallo, nec Emphyteusis ab Emphyteuta, etiam si per 30. aut 40. annos non præstiterint obsequium personale vel reale, uti probabilius docent *Silv. Mol. Fill. Less. Bonac. Dicast. n. 188. flls. supra contra Bart. & alios apud Dian. p. 8. T. 7. R.* 524

36., quia Vasallus & Emphyteuta non possident dominium directum nomine proprio, uti nec tutor bona pupilli, nec commodatarius, locatarius, depositarius rem commodatam, locatam, depositam; & hæc habentur L. 13. ff. De usufrucap.

525 8. Nemo plus potest præscribere, quam possideat, uti optimè explicat *Dicast.* à n. 183., unde si quis debeat pensionem, v. g. 100. aureorum quot annis, & diu solvat annuatim tantum 60., agnoscat tamen se obligatum aut communiter habeatur pro obligato ad totum, non præscribet immunitatem à solvendo toto. Et universalliter loquendo, immunitas ab actione præstanda non præscribitur, nisi adsit talis possessio, quæ quis verbo vel facto negaverit se obligari ad præstandum, nam si agnoscat se obligatum, vel communiter habeatur pro tali, non possidet immunitatem, quamvis actio non exigatur, quia per actus liberos non inducitur præscriptio, uti habet *reg. communis juris*; hinc *Covar.* & alii cum *Herinx* de *Just. D. 4. n. 188.* dicunt, in rebus meræ gratiæ seu facultatis non datur præscriptio: sæpe tamen præsumi potest, quòd alter renunciarit juri suo, si, quando erat opportunitas, non exegerit, aut exegerit ab aliis & non ab hoc.

526 9. Ad probandam possessionem continuatam, plerumque sufficit ostendere principium possessionis & possessionem pro præsentem, quia tum etiam præsumitur pro tempore intermedio, uti rectè *Dicast. n. 260.*, & habetur L. 16. *Cod. De probat.*

527 10. Legitima possessio Auctoris, id est, illius, qui

qui prius possedit, unitur cum possessione successoris, facitque unum tempus per accessionem, L. un. Cod. De usucap. transformanda, L. Dolia. §. Eum qui. ff. De contrah. empt. L. 11. Cod. De præscript. longi temp. Cap. Cum de benef. 5. De præbendis in 6. Unde si ad præscribendum requirebantur 10. anni, & antecessor meus bonâ fide possederit per 6. & ego per 4. annos, jam præscripti. Vide tamen, quæ dicenda sunt l. 4. n. 685.

11. Quia quandoque plius temporis requiritur ad præscribendum contra unam, quàm contra aliam personam, si fiat mutatio personarum, contra quas præscribitur, tempus computari debet respectivè ad utramque illam personam, uti colligitur ex L. 6. ff. De jure fisci, docentque Auctores communiter cum Dicast. n. 264., hinc si res immobilis, quæ contra privatum præscriberetur 10. annis, transeat ad Ecclesiam, postquam alius jam 5. annis possederat, sicque absolverat mediam præscriptionem, ut jam præscribatur contra Ecclesiam, opus erit aliis 20. annis tanquam alterâ medietate 40. annorum, qui requiruntur ad præscribendum contra Ecclesiam; ita cum aliis Haun. n. 302.

12. Ad præscriptionem mobilium spectantium ad privatos, requiruntur & sufficiunt cum certo titulo 3. anni, uti habetur §. 1. Inst. De usucap. & L. un. Cod. De usucap. transform., contra jus antiquum requirens tantùm unum annum. Valet hoc etiam de rebus ad Ecclesiam spectantibus, auth. Quas actiones. Cod. De SS. Eccl., Cap. Placuit 16. q. 5. Neque Romana Ecclesia in mobilibus habet speciale privilegium præ aliis, uti tenent Glos. Mol. Laym. Sanch. Castrop. Lugo, Haun. T. 5.

T. 5. n. 271. contra *Silv. Covarr. Panorm. Felin. Bald. Less. & alios*. Quòd si desit titulus, requiruntur 39. anni, quia hi requiruntur ad præsumptionem tituli, *L. Sicut in rem. L. Si quis emptiois, §. Quòd si quis, Cod. De præscript. 30. annorum.*

530 13. Ad præscriptionem immobilium spectantium ad privatos, cum titulo requiruntur inter præsentés 10. anni, inter absentes 20., §. 1. *Instit. De usucap. & L. ult. Cod. De præscript. longi temp.* Si autem dominus fuit partim præsens partim absens, tot anni sunt adjiciendi, quot abfuit, *auth. Quòd si quibusdam. Cod. De præscript. longi temp.*, ita ut duo anni absentiae computentur pro uno anno presentiae, v. g. si ad præscribendum requirebantur 10. anni, & adfuerit tantum 4. annis, antequam præscribatur, debet abesse aliis 12. annis, hi enim 12. anni absentiae sunt veluti 6. anni presentiae; & ita de cæteris.

531 14. Res furtiva vel vi possessa, si prius non redierit ad dominum, vel nisi fur aut rapiens sit factus hæres domini, non præscribitur ordinario tempore, nequidem à mediato possessore bonæ fidei, §. *Furtivè. Instit. De usucap., L. Si aliena. ff. De usucap.*, unde ut præscribatur domino ignorante, requiruntur 30. anni, *Novel. 119. c. 7.* Si autem dominus sciat & negligat contestari, sufficiunt 10. inter præsentés & 20. inter absentes, uti habetur in *Cit. Novel.*; putatque probabiliter *Lugo D. 7. n. 151. ex L. Sicut in rem, Cod. De præscript. 30. vel 40. annorum*, etiam à fure præscribi per 30. annos, si ei supervenerit bona fides, v. g. quia à Confessario ei dictum est licite potuisse tunc accipi vel nunc retineri: Per rem autem furtivam hinc communiter intelligitur res  
exter-

externa & mobilis iniuste accepta; quod si tantum iniuste retenta esset, aut acquisita dolo malo dante causam contractui, non esset proprie furtiva, uti cum *Mol.* notant *Lugo* n. 141. & *Haun.* n. 370., adeoque ordinario tempore posset prescribi. Per, vi possessa, intelliguntur etiam immobilia.

15. Res quaecunque minorennium non prescribuntur nisi 30. annis. 532

16. Ad immobilia Ecclesiae Romanae (id est, Ecclesiae Lateranensis, & Romani Pontificis bona ac patrimonium) requiruntur 100. anni, auth. *Quoad actionem. Cod. De SS. Eccl. Cap. Ad audientiam*, 13. & seqq. *De prescript. Cap. Nemo.* 16. q. 3. *Cap. 2. De prescript. in 6.* Excipiunt Doctores apud *Mol. D. 73. §. ult.* & apud *Ills.* n. 329. bona in poenam haereticis ad Romanam Ecclesiam devoluta, quae 40. annis post mortem haeretici prescribuntur, *Cap. fin. De prescript. in 6.*; & idem dicunt aliqui ex *L. 23. §. Sive itaque. Cod. De Sacros. Eccl.*, de omnibus bonis per ultimam voluntatem, donationem, emptionem, fideicommissum translatis ad civitatem vel coronam Regiam, & nondum traditis, uti videri potest apud *Haun.* n. 303.

17. Ad immobilia prescribenda contra inferiores Ecclesias & pia loca requiruntur 40. anni. 534  
Contra Ordinem S. Benedicti & S. Salvatoris, 60. anni. Contra Ordinem Cisterciensem S. Bernardi in Germania, teste *Haun.* n. 30., item Mendicantium & cum eis participantium privilegia, 100. anni.

18. Bona, quae Principi ut privato competunt; item bona patrimonialia Clericorum, secundum omnes 535

omnes præscribuntur uti alia privatorum bona *Bald. Covar. Mol. Less. Castrop. flls. n. 325.*; bona autem etiam mobilia fisco sæculari propter delictum addicta & per sententiam Judicis incorporata præscribuntur 40. annis, *Bart. Panorm. Silv. Covar. Mol. Laym. Lugo flls. n. 326. ex L. Comperit, Cod. De præscriptione 30. annorum, & L. Omnis, ibidem. Nec obstat §. Res Fisci, Inst. De usu cap. nam tantum vult non præscribi præscriptione ordinariâ, de qua ibi agitur, sicuti dum dicitur aliquid non præscribi 100. annis, non negatur præscribi tempore immemoriali. Quod si fisco necdum sint incorporata, præscribuntur 5. annis, L. 2. Cod. De Vectig. & Commiss. Si autem bona, etiam immobilia, vacent per mortem defuncti sine hærede, quamvis sint fisco denunciata, si incorporata non sint, præscribuntur 4. annis.*

- 536 19. Fundus dotalis, res primogenituræ vel fideicommissæ alligatæ, legatum rei certæ, bona adventitia filii-familias, non præscribuntur nisi longissimo tempore, ita quidem, ut præscriptio contra filium-familias non incipiat currere, nisi quando egreditur patriam potestatem, *Lugo n. 148.*
- 537 20. Servitutes & jura (quale secundum *Trid. Less. 25. C. 9. de Reform.*, est jus patronatus contra Ecclesiam) si habeant actus discontinuos & raros, non præscribuntur nisi tempore immemoriali, *Laym. Silv. Less. Haun. n. 311. Burgh. Cent. 2. Cas. 16. Putant tamen Lugo à n. 75. & Haun. n. 305. servitutes continuas vel quasi continuas, v. g. transeundi per agrum alienum, immittendi tignum &c., præscribi 10. annis contra præsentem, 20. contra absentem, probatque ex jure*

jure *Dicast.* L. 2. T. 1. D. 1. n. 291. Si autem esset ad utendum rarò, v. g. ad aquæ ductum per singulos menses semel, requirunt aliqui inter præsentés 20. annos. Addit cum aliis *Lugo* n. 90. jus patronatûs Ecclesiæ non liberæ præscribi ab uno patrono contra alium tempore ordinario, quod sufficit ad alias res immobiles contra privatos quia non præscribitur contra Ecclesiam, sed contra alterum patronum, qui nullum habet speciale privilegium, & hoc videtur probabilius contra *Dicast.*, qui requirit 30. annos. De præscriptione circa jus patronatûs dicetur l. 4. n. 354.

21. Servitus personalis extinguitur per præ- 538  
scriptionem, si quis bonâ fide, etiam sine titulo per 20. annos gesserit se ut liberum, ut colligitur ex L. 2. Cod. De præscript. longi temporis: servitus autem realis extinguitur per præscriptionem 10. annorum inter præsentés, & 20. inter absentes, ut colligitur ex L. 12. ibidem, itemque ex aliis legibus apud *Lugo* à n. 77.; tempus autem hoc præscriptionis in servitutibus rusticis incipit currere, quando aliter incipit non uti jure suo; in urbanis verò, quando bonâ fide exercuisti primum actum contra jus alterius, uti insinuaturn est n. 512.

22. Debita quæcunque & actiones, quibus il- 539  
la exigí poterant, regulariter non præscribuntur nisi 30. annis, L. 3. Cod. De præscript. 30. ann., & L. 1. §. Ad hæc, Cod. De ann. except., docentque *Mol.* *Lugo*, n. 80. *Castrop.* tr. 32. d. 6. p. 33. *Havn.* n. 313. *Ills.* n. 333. Notat etiam *Less.* l. 2. C. 6. n. 19., ut præscribam contra debitum vel contra actionem ad debitum, non sufficere, quòd cre-  
ditor



ditor toto tempore non exigat aut non meminerit, sed requiri, ut ego bonâ fide existimem me nihil debere, quia, v. g. puto condonatum vel solutum esse; vel ut omnino memoriâ exciderit, alioquin non censebor bonâ fide possidere jus non solvendi, etsi enim creditor me non interpellat, tamen terminus elapsus ipsaque dies interpellat. Quòd si actio sit Hypothecaria, si verò à creditore siue à debitore possideatur, requiruntur 40. anni; si tamen possideretur à tertio, præscribi posset eo tempore, quo res præscriberetur, L. *Cum notissimi*, Cod. *De præscript. 30. annorum*. Similiter contra Ecclesiam & loca pia, ad præscribendum debita & actiones requiruntur 40. anni, uti probat *Lugo* n. 80.; quanto autem tempore præscribantur actiones Fisci tam civilis quàm Ecclesiastici, videri potest apud *Dicast.* à n. 229.; communiter censentur præscribi, si intra quinquennium non exigat.

540 23. Actio *redhibitoria*, quâ emptor intra 6. menses rescissâ emptione reddere potest rem propter vitium, quod si scivisset, non fuisset empturus, præscribitur intra 6. menses, uti habetur L. 19. §. 6. ff. *De ædilitio edicto*: actio autem *quanti minoris*, competens intra annum illi, qui cognito rei vitio empturus quidem fuisset, sed non tanti, præscribitur per annum, uti ex eadem lege docent *Haun.* n. 185 & *Onnate* de contract. D. 10. n. 295.; notat tamen rectè *Platel.* n. 574. venditorem in conscientia non liberari, si dolosè processerit.

541 24. Omnis accusatio criminalis, quæ scilicet ordinatur ad punitionem delicti, præscribitur spatio 20. annorum, ita ut sublatum sit jus inquirendi,

quirendi, etiam ratione delicti notorii vel confessati, & nequidem Minoribus vel Fisco conceditur restitutio in integrum; accusatio tamen Apostasiæ & Parricidii perpetuò durat: Addunt Auctores Crimen læsæ majestatis, hæresis, assassini, falsæ monetæ, simoniæ, abortûs, suppositi partûs aliaque similia, uti cum aliis docet *Haun.* n. 327.; reliquorum criminum minus enormium, uti adulterii, stupri, incestûs, item peculatûs, communiter præscribuntur per quinquennium, uti habent *Dicaft.* n. 258 & *Haun.* à n. 324. Præterea actio ad pœnam sive civilem sive criminalem pro injuria præcisè, præscribitur per annum, ab eo tempore, quo injuriatus potuit actionem intentare; & habentur hæc in legibus apud *7lls.* à n. 331. potestque etiam videri *Lugo* n. 101., qui n. 102. cum *Haun.* n. 327. notat in his omnibus exceptiones istarum actionum nunquam præscribi, id est, si alter similem actionem intendat tibi, quovis tempore poteris pari jure contra ipsum iterum excipere, quia quæ sunt temporalia ad agendum, sunt perpetua ad excipiendum, uti habet regula communis. Denique actiones civiles ex criminibus vel injuriis descendentes, v. g. pro damno, non hoc ipso præscribuntur, sed indigent tempore illis constituto.

25. Ad præscribendum aut quasi præscribendum contra legem civilem, sufficiunt 10. anni; contra canonicam, requiruntur 40., uti habet communior & probabilior, quamvis *Sa, Less. Casp. Strop. & Lugo* n. 94. dicant sufficere etiam 10., eò quòd fit longum tempus. Ut autem præscribatur contra legem, non est opus, ut incipientes contrariam consuetudinem habuerint bonam fidem,

dem, uti docent *Suar. Bonac. Castrop. Lugo* n. 96. aliique cum *Dian.* p. 8. T. 7. Ref. 37. contra *Silv. Less.* & alios, cum non fit propriè præscriptio, sed per consuetudinem contrariam tollatur lex, secundùm dicta *L. 1. n. 572.*, Si tamen simul præscribatur jus aliquod contra Ecclesiam, requiritur bona fides & anni 40., vel 100., si esset Ecclesia Romana aut corona Regni; si autem jus adhuc resisteret, requireretur tempus immemorabile, *Cap. 1. De præscriptionibus* in 6.

543 26. Quamvis res aliqua fit ex dispositione juris, aut etiam ex natura sua non apta præscribi, tamen *Mol. D. 707. n. 8.* aliique docent, si fuerit possessio immemorialis, v. g. viæ publicæ, præsumi titulum, & sic censeri acquisitum illius dominium, non quidem vi præscriptionis, sed quia ex possessione illa præsumitur titulus translatus dominii, uti habetur *L. 3. §. Ductus, ff. De aqua quotid.* Itaque in tali casu præsumitur Principem vel Remp. scivisse & consensisse. unde universaler tradunt cum communi *Tusch. V. tempus immemorabile, n. 1. 2. 5. 6. & 41. Laym. L. 3. T. 1. C. 8. à n. 14. Mol. d. 75. n. 8. Haun. n. 319. Pirh. L. 3. tit. 4. n. 14.* hoc posse tempus immemorabile, quod potest potestas Principis, ideoque operari quemcunque titulum; unde infert *Decast. n. 243.*, quando generalibus verbis dicitur acquiri non posse dominium, non obstante quacunque præscriptione, per hoc non excludi immemorabilem, quæ ob specialem favorem speciali derogatione indiget. Et quamvis notet *Decast. n. 181.* personam, quæ præscripsisse dicitur, debuisse esse capacem possessionis, cui jura non resistent, hinc quia jura resistent possessioni, v. g. laici

laici respectu rei sacrae, eum non videri praescribere, quantumcunque dici tenuerit, recte tamen addit, quando adest tempus immemoriale cum bona fide, prudenter praesumi titulum, ideoque possessorem in utroque foro reddi tutum, donec contrarium innotescat: Et ideo etiam docent *Haum.* n. 357. & *Ills.* n. 275. ex tempore immemoriali nasci praesumptionem Juris, v. g. praesumi concessionem Ecclesiae ad Jus decimandi, ideoque allegari posse titulum privilegii, uti ex iure probat *Lotter.* De re benef. l. 2. q. 7. n. 34., notatque etiam *Leuren.* p. 2. q. 47. n. 3. Quod si constaret non esse datam eam concessionem vel privilegium, tempus immemoriale non Juvaret ob defectum possessionis, cuius per se loquendo, incapax est laicus; uti dictum est, docetque pluribus *Engel* in Man. paroch. p. 3. C. 1. §. 2. à n. 7., ubi etiam ex Juristis notat contra probatum immemoriale tempus posse valere probationes vitiosi initii. Putat etiam cum *Felin. Tusch.* n. 157. contra *Cravett.*, non sufficere consuetudinem immemoriam in iis, quae sunt magni praedicii.

27. Si quis absque simoniaci ingressu & non intrusus, per triennium pacifice possederit beneficium Ecclesiasticum cum titulo, praescriptus in illo, etiam pro foro conscientiae, uti pluribus explicabitur l. 4. n. 716., ubi etiam n. 694. dicitur de praescriptione fructuum ex beneficiis perceptorum.

§. 10. Praescriptio dicitur procedere vel currere, si incipiat; vel coepta pergat; è contra dicitur non procedere vel non currere, si non incipiat, vel coepta cesset. Si autem ita cesset, ut totum tempus praecedens omnino extinguatur,

atque si non præcessisset, tum dicitur interrumpi; è contrà si ita cesset ob aliquod impedimentum, ut tamen postea sublato impedimento tempus subsequens continuetur cum præcedente, tum dicitur dormire, hinc,

546 1. Præscriptio naturaliter interrumpitur, si definat aliquid ad essentiam illius requisitum, ut si definat bona fides, vel titulus, vel possessio civilis, vel capacitas personæ; item si res domino rei detur pignori, vel elocetur, vel precario concedatur, uti habetur L. 33. §. 5. & l. 25. ff. De usufructu, tum etiam definit possessio civilis. Quod si postea bona fides rediret, *Felin.* & alii dicunt interea dormire, sed *Covar. Mol.* aliique communiter cum *Lugo* n. 150. & *Ills.* n. 316. consideratis legibus & ratione probabilius dicunt interrumpi, quia lex non favet detentori malæ fidei. Quod si dubium tantum superveniat, & adhibeatur requisita diligentia, dubium excludi potest ob possessionem, nec possessio tunc interrumpitur aut dormit, sed pergit currere.

547 2. Præscriptio habens omnia ex natura rei requisita, quandoque interrumpitur civiliter, id est auctoritate juris; v. g. præscriptio triennali major, nempe longi temporis cum titulo, vel longissimi temporis sine titulo, interrumpitur per contestationem litis, id est, per litem jam formatam contra possidentem, L. 26. Cod. De rei vindicatione; non tamen interrumpitur per solam citationem, uti notant *Mol. D.* 76. & *Lugo* n. 152.

548 3. Triennalis præscriptio non interrumpitur litis contestatione, sed hac durante currit; si tamen præscribens caderet causâ, teneretur restituere

nuere, uti statuitur variis legibus apud *Mol.* & *Lugo* supra.

4. Si possessor absit, vel ob alias causas ejus 549  
præscriptio interrumpi non possit per contestationem litis, v. g. quia furiosus est vel nimis potens, L. 2. Cod. De *annali exceptione* statuitur, interruptionem fieri posse per libellum supplicem porrectum Principi, aut in hujus defectu, Episcopo, aut in horum defectu per protestationem factam in loco publico, ubi possessor domicilium habet, de qua tabellio, aut in hujus defectu tres alii testentur, *Haun.* n. 339. *Ulls.* n. 318.

5. Sola citatio interrumpit præscriptiones illas, quæ fiunt cum cognitione juris alieni, v. g. per quas præscribitur immunitas à servitute rustica viæ, quam scio debere alteri, hoc ipso enim quòd alter me citet petatque viam, non filet amplius, quod ipsius silentium erat fundamentum meæ præscriptionis. 550

6. Si contestatio litis fieret, non animo prosequendi litem, sed tantum interrumpendi præscriptionem, aliqui negant, alii affirmant adhuc interrumpi; *Mol.* distinguit, & negat interrumpi, si ex circumstantiis sit vehemens præsumptio, quòd ideo tantum litem moverit, ut præscriptionem interrumperet; & hoc videtur colligi ex L. ult. Cod. De *præscript. 30. annorum*; de cætero dicit interrumpi. 551

7. Præscriptio civiliter interrumpitur tantum respectu actoris, id est, illius, qui litem intentavit, hinc si bonâ fide possideam rem Titii, & solus Cajus mihi litem super ea moveat, pergo præscribere contra Titium. 552

8. Si actor succumbat, vel pacto aut transac- 553  
tione

etione cesset à lite, censetur præscriptio non fuisse interrupta, & est, ac si lis mota non esset, pactum enim facit, ut quivis in eo jure sit, in quo fuisset sinè lite; si tamen bonâ fide à lite tantisper cesset, quamvis jus iterum instandi tollatur per lapsum triennii, tamen ille, contra quem mota erat lis, nunquam præscribet, nisi ex nunc pergat possidere per annos 40., uti habetur L. 9. Cod. De præscript. 30. annorum: si tamen rem bonâ fide venderet aut aliter transferret in alium, hic novus possessor posset præscribere ordinario tempore, quia sicuti ei non prodest possessio prioris possessoris, sic illius inquietatio ipsi obesse non debet, L. 1. Cod. De præscript. longi temporis.

554 9. Quamvis singulis annis promulgetur bulla cœnæ, per quam fertur excommunicatio contra detinentes bona Ecclesiæ Romanæ, non ideo tamen interruptitur præscriptio illius, qui bonâ fide talia bona possidet, quia excommunicantur soli possessores malæ fidei, ergo possessores bonæ fidei non inquietantur, Covar. Mol. Lugo n. 153. Haun. n. 343 contra Felin.

555 10. Præscriptio contra quamcunque Ecclesiam dormit, quamdiu Ecclesia caret Prælato; item quamdiu Prælatus vivit, à quo læsa est Ecclesia; item quamdiu Prælatus agere non potest, quia excommunicatione, suspensione, captivitate aut alio impedimento tenetur, C. 14. & 15. De præscript. Can. 10. 16. q. 3. Et ratio generalis est, quia actore impedito non currit præscriptio, uti ex Jure, Auctoribus & ratione probat Stryck. de præscript. l. 3. membro 1. Axiom. 2.

556 11. Dormit præscriptio contra Ecclesiam Roman-

Romanam, si sedes vacet, vel sit schisma, Cap. 4. De *prescript.* & Cap. *Cum nobis*, De *rescript.* Similiter contra Imperium, si vacet thronus, uti habent *Bart. & Panorm.*, quod *Mol. & Lugo* n. 149 extendunt ad tempus vacantis throni in Regno. Item contra pupillum durante pupillari ætate, Auth. *Nisi trienniali*, Cod. De *bonis maternis*, & L. 3. De *prescript.* 30. ann. Addunt *Laym. & Less.* contra filium familias quoad bona adventitia, item contra uxorem quoad fundum dotalem vivente marito, sed citatis legibus probabiliter contradicunt *Mol. & Ills.*, qui videri potest à n. 312. Dormit tamen contra quemcunque tempore hostilitatis vel pestis, si ideo cessent judicia, uti pluribus *Mol. & Gob* in Exp. T. 2. n. 516., & habetur Cap. *Primâ actione*, 16. q. 3. & Cap. 10. De *prescript.*; item quamdiu alter possessori rem precario concedit, L. 13 §. 7. ff. De *acquirenda poss.*

12. Quidquid sufficit, ut præscriptio cesset ac 557  
interrumpatur vel dormiat, etiam sufficit, ne incipiat currere, *Mol.* D. 78.; è contrâ non quidquid impedit, ne incipiat currere, impedit, ne continetur, sic enim non incipit præscriptio bonorum adventitiorum filii, quamdiu filius est sub patria potestate, L. 1. §. ult. Cod. De *ann. except.* & L. 1. Cod. De *bonis Maternis*, si tamen præscriptio incepisset, antequam bona spectarent ad talem filium, non cessat nec dormit ex eo, quod ad hunc pertinere incipiant; & idem est in aliis pluribus casibus, de quibus *Mol.* supra, ubi hætenus allata etiam pluribus legibus firmat fusiùsque explicat.

§. 11. Restitutio in integrum, est remedium 558

Y 4

juris,



juris , quo jus vel dominium per præscriptionem amissum recuperatur ; conceditur autem ,  
 1. minorennibus per 4. annos post tempus minorennitatis, id est, post completum annum 25. usque ad 29. completum, L. un. Cod. *Si adversus usucap.* L. ult. Cod. *De temporibus in integrum.* L. ult. Cod. *In quibus causis restit. in integ.* 2. Ecclesiis per 4. annos post expletam præscriptionem, uti cum communi *Mol. D. 80.* ; quod *Dicast. n. 269.* *¶lls. n. 319.* alique extendunt ad alia loca pia, quamvis præscriptio esset longissimi temporis, Cap. 1. & 2. *De restit. in integ.* 3. Quandoque etiam majorennibus ad 4. annos, postquam impedimentum cessavit, v. g. si in captivitate, si Reip. aut studiorum causâ, si in publica expeditione abfuerint, secundum prudentiam Judicis vel Principis, L. 1. ff. *Ex quibus Causis majores* ; quamvis in *Instit. tit. De actionibus §. 5.* dicatur tantum intra annum. Aliæ etiam justæ causæ sufficiunt, uti statim dicetur. 4. Conceditur etiam mulieribus & rudibus secundum *Rosmer*, quod probabile censent *Mol. Less. Castrop. tr. 32. D. 1. P. 19. §. 1. n. 13*, dummodo illi omnes ante completum tempus præscriptionis debito modo non potuerint eam interrumpere. 5. Conceditur etiam conjugibus quoad bona dotalia, quia censentur privilegiata, *Pinel. Rebel. Castrop. ¶lls. n. 321.* 6. Si ille, contra quem est præscriptum, probet se non interrupisse præscriptionem ideo, quia invincibiliter ignoravit, v. g. rem suam ab alio possideri, *Covar. Mol. & alii* dicunt illum gaudere beneficio restitutionis in integrum, quia L. 1. Cod. *Ex quibus majores*, dicitur, *si qua alia justa nehi causa esse videbitur, in integrum resti-*

restituam, ergo etiam sufficit causa invincibilis ignorantiae: consentit *Andreas Gayll*, si praescriptio non sit longissimi temporis, sed merito dubitat *Dicast.* n. 170., ideoque cum *Fachinæo* absolute negant *Haun.* n. 345. & *Ills.* supra hanc esse sufficientem causam, quia alioquin continuæ essent causæ litium, quisque enim dicet se ignorasse, & hoc ipsum videtur innui *L. fin. Cod. De praescrip. longi temporis*, ubi dicitur, *Nulla scientiæ vel ignorantia expectanda, ne altera inextricabilis oriatur occasio.* 7. *Libro 2. feudorum tit. 4. statuitur,* 560  
 ut dominus directus fundi possit alienationem sine consensu suo à Vasallo bonâ fide factam revocare, non obstante praescriptione longi temporis; putat tamen *Dicast.* n. 236. non posse post praescriptionem longissimi temporis, & ita habetur in *Glossa ibidem.*

*Q. 101. Quid dicendum sit in variis dubiis vel opinionibus circa obligationem aut excusationem ab obligatione restituendi.* R. Iam resolvimus, quid tenendum sit in sequentibus dubiis, N. 183. in dubio, an res perierit casu an ex culpa conductoris. N. 186. an intervenerit culpa gravis. N. 205. an in fructibus prævaleat natura vel industria. N. 218. an res, quæ perit apud iniquum detentorem, peritura fuisset apud Dominum. N. 277. an tributum sit justum. N. 278. an Princeps possit tributum imponere. N. 462. an Dominus, si sciret debitum, aut si rogaretur, esset illud remissurus. N. 346. an causa abstrahendi à Religione sit justa. Possunt addi sequentia:

§. 1. Si accipiens rem à Titio, aut primus eam occupans, dubites, an non spectet ad aliquem tertium vel ad aliquos in particulari, teneris pro

quantitate dubii restituere, neque enim tibi fa-  
 vet possessio, uti dictum est n. 481., cum nec-  
 dum bonâ fide habueris, ita *Mol.* & alii cum  
*Dicast.* de Restit. D. 5. n. 205. & 210. Si tamen ac-  
 cepisses à possessore bonæ fidei, & nihilominus  
 dubitasses, sed postmodum adhibuisses diligen-  
 tiam, postea manente dubio posses retinere, se-  
 cundùm dicta n. 483., quia venisses in locum il-  
 lius, qui bonâ fide possedit, possesque ejus juri  
 insistere, *Vasq. Mol. Sanch. Castrop. Laym. Dian.*  
 P. 4. T. 4. R. 27. *Dicast.* n. 207. *Petsch.* Pag. 582.  
 Quòd si dubitans accepisti, & factâ inquisitione  
 dubium manet, an res spectet ad aliquem alium,  
 sed in communi tantùm, & nescias ad quem,  
*Vasq. & Turr.* putant te posse incipere possessio-  
 nem bonâ fide, quia neminem nosti cui faceres  
 injuriam; quod *Lugo* D. 18. n. 4. admittit velut  
 probabile, sed *Petsch* p. 583. meliùs dicit pro  
 quantitate dubii esse restituendum pauperibus,  
 uti n. 94. dictum est de debitis incertis ex delicto.

563

§. 2. Si quis rem à se bonâ fide possessam pro-  
 babiliter putet esse alienam, *Schild.* de Consc. t.  
 2. n. 91. dicit teneri restituere, si non habeat o-  
 pinionem etiam probabilem, quòd sit sua, quia  
 ficuti probabilis opinio sufficit pro excusatione,  
 ita etiam pro obligatione restituendi, & quando  
 deest ratio pro possessore, non potest sibi for-  
 mare conscientiam, quòd res de jure sit sua, licet  
 de facto possideat, ergo retinere non potest. *Va-*  
*lent. Con.* & alii cum *Sanch.* de Matr. L. 2. D. 4. n.  
 14. dicunt, si post inquisitionem sint majores  
 rationes, quòd spectet ad alterum, tum teneri  
 restituere, quia non est æquale dubium, putant  
 autem tum tantùm esse meliorem conditionem  
 possi-

possidentis, quando est æquale dubium, *Vasq. Tamb. L. 1. C. 3. §. 7. v. Restitutio, Diana supra Lugo d. 17. n. 86. & 94. Castrop. t. 1. d. 3. p. 2. n. 11. Laym. l. 1. t. 1. c. 5. n. 21. Dicast. à n. 199. Burgh. cent. 1. cal. 51 & 84. Rosmer cum Petsch. p. 586.* dicunt, quamvis post inquisitionem ipsi probabilius sit, quòd res sit aliena, nihilominus posse retinere, quia titulus possessionis præponderat omnibus aliis rationibus non certò convincentibus; & idem pluribus confirmat *Carden. in 1. crisi d. 16. c. 8. a. 3. & seqq. Item d. 64. c. 3.*, quia in possessione bonæ fidei est verum ac certum jus, nam possessio definitur à Juristis, jus insistendi rei non prohibetæ possideri, ergo quamvis circa dominium sit dubium, tamen possidens habet ius certum insistendi rei, donec sit moraliter certus rem non esse suam, consequenter poterit incipere præscriptionem, & elapso tempore absolutè retinere. Et propter hanc rationem *Sanch. in Dec. L. 1. C. 10. n. 9.* mutavit sententiam, tenetque cum posterioribus: Etiam *Cardin. Sfrondatus in Reg. Sacerd. L. 1. §. 20. n. 11.* dicit contra possessionem non esse procedendum nisi ex certitudine.

§. 3. Si post possessionem bonæ fidei superveniat dubium, & negligas inquirere, ideoque postea non possis veritatem comperire, teneberis restituere pro qualitate dubii, quia omissio inquisitionis fuit injuriosa illi, de quo dubitabas, an esset forsan dominus, ergo teneris compensare injuriam secundùm proportionem spei, quam habere poterat, ut agnosceretur dominus; nec postmodum in te manet bona fides, & possessio desinit tibi favere, ita *Mol. Lugo D. 17. n. 84.*

n. 84. *Sanch. L. 2. C. 23. n. 183. flls. t. 4. D. 3. n. 46.* aliique apud *Dicast. n. 197.* Defendunt tamen etiam oppositum velut probabile *Rebell. Bonac. Castrop. & Diana R. 29.*, quia adhuc favet possessio certa, & post inquisitionem nunc, prout fieri potuit, factam, redire videtur bona fides, quod *Lugo n. 85. & Tamb. n. 6.* putant non esse omnino improbabile, quando in genere dubium erat, an res esset aliena, & non dubitabatur de jure alicujus in particulari, secundum dicta n. 562.

565 §. 4. Si bonâ fide possederis, & post inquisitionem non potens deponere dubium rem consumpseris, postea autem compareat dominus, teneberis restituere, saltem ex re accepta, quantum eris factus ditior, potuisti enim consumere, uti communius tenent AA cum *Dicast. n. 215.* contra *Cord.*, quia quamvis permaneret dubium speculativum, poteras tamen practicè deponere, eò quòd dubio prævaleret possessio. *Sanch. n. 187. Rebell. Less. Dian. Tamb. n. 10. Rosmer, Petsch. p. 584.* Hoc ipsum dicunt valde probabiliter multi cum *Laym. L. 1. t. 1. C. 5. n. 21.*, quamvis vendideris, sive enim consumas sive vendas, videtur esse par ratio, cum pretium succedat loco rei; contradicit tamen cum aliis *Lugo n. 90.*, dicitque, si vendas, te debere esse paratum ad restituendum totum pretium domino comparenti, sive inde factus fueris ditior sive non, quia cum necdum cessasset dubium, tenebaris non impedire, quominus dominus, si compareret, rem suam reciperet, impedis autem, si non sis paratus ejus valorem restituere. Similiter docet *Dicast. n. 211.* citans *Rebell. & Sanch.*, quamvis

vis consumpseris, te tamen teneri restituere rem & fructus perceptos, licet non sis inde factus ditior, quia jus ita dubium non faciebat tibi potestatem aliquid ex re consequendi, non teneris tamen restituere, quod non percepisti, neque quod casu apud te perit.

§. 5. Quando nullus eorum, de quibus dubitatur, an sint domini rei, rem possidet, si dubium est æquale, est æqualiter dividenda; si inæquale, inæqualiter secundum proportionem dubii. Quod si dividi non possit, sorte est agendum, aut ex consensu partium res uni est applicanda & aliis aliquid refundendum; *Dicast. n. 207. Tamb. n. 8. & alii.*

§. 6. In dubio, an aliquis possessionem inceperit bonâ an malâ fide, præsumendum est, quod bonâ, quia delicta non præsumuntur, *Lugo D. 18. n. 16.* Si tamen in aliquo sit actu mala fides, & non sciat, quando inceperit, præsumi debet ab initio fuisse mala, quia *semel malus semper præsumitur esse malus*, secundum Reg. 8. juris in 6.

§. 7. Qui bonâ fide rem consumpsit, & cessante bonâ fide dubitat, an ex illa re sit factus ditior, ad nihil tenetur, quia cum debeat esse obligatio ex re accepta, tamdiu est possessio pro libertate, donec constet rem alienam esse æquivalenter apud me, *Sanch. n. 36. Tamb. n. 10. Rosmer & Petsch. p. 585.* Similiter dubius, an debeat restituere plus an minus, tenetur tantum ad minus, quia possessio est pro illo, & in dubiis minimum est amplectendum, uti ex utroque jure probant *Dicast. n. 209. & Bardi de Consc. disc. 6. C. 9. §. 19. & etiam diximus l. 1. n. 596.*

§. 8. Si res ab altero bonâ fide possideatur, quam-

quamvis probabiliter aut etiam probabilius opineris esse tuam, non potes eam eripere, quia alteri favet certa possessio, ita *Suar. Sanch. Dian. Dicast. n. 203. Schild. n. 89. & alii contra 7. Sanch.* Si tamen certus sis rem esse tuam, nec aliter possis recipere, poteris occultè eripere possessori bonæ fidei, *Sanch. & Schild. n. 90.* Quòd si putas te teneri ex voto dubiè valido solveris aliquid, non poteris tibi compensare, quamvis postea rescias te potuisse nonolvere, quia illi, quibus solvisti, jam habent possessionem, & jus probabile favet illis, pro te autem nulla est certitudo, *Sanch. & Dicast. n. 204.*

570 §. 9. Opinans probabiliter rem ad se spectare, si nequit per judicem, potest pro foro interno eripere possessori malæ fidei, quia nullum huic jus favet neque possessio, sed ex justitia tenetur extradere, ergo eripiendo illi non facio injuriam sed justitiæ cooperor, *Schild. supra.*

571 §. 10. Si quis opinetur probabiliter se restituisse vel solvisse debitum, *Schild. n. 92. citans Boss.* dicit ad nihil teneri, quia sicuti in aliis similibus dubiis juris & facti licitum est sequi opinionem probabilem, ita & in quæstione de restitutione vel solutione facta; & hanc sententiam admittit *Tann. 1. 2. d. 2. q. 6. dub. 4. n. 49.*, si uterque dubitet, tam creditor quàm debitor, in quo casu *Laym. n. 42. Dian. R. 32. Tamb. n. 1.* alique obligant tantùm ad partem pro qualitate dubii: è contrà *Sanch. Vasq. Rebell. Bardi §. 16. Lugo D. 18. n. 12. Dicast. n. 202.* dicunt teneri ad restituendum vel solvendum totum, 1. Quia, uti rectè probat *Laym. n. 30.*, factum in dubio non præsumitur. 2. Quia debito certo non satisfit

tisfit per solutionem incertam, non enim ponitur æqualitas. 3. Quia ex parte creditoris est certe possessio pro obligatione restitutionis vel solutionis ab altero faciendæ, possessio autem prævalet omni probabilitati in oppositum. 4. Quia talis dubitans vel opinans in foro externo condemnaretur, ergo etiam sic fieri debet in interno, quia forum internum non debet recedere à sententia fori externi, nisi appareat falsitas præsumptionis, in qua se fundet externum. Conantur quidem adversarii ad hæc respondere. *Ad 1.* dicunt id valere tantum de facto negativè dubio, pro quo non est positiva ratio, quòd sit positum, non autem de illo, pro cuius positione habetur prudens iudicium. *Ad 2.* Relata est responsio n. 452. *Ad 3.* dicunt, quòd sicuti possessio pro obligatione solutionis est apud creditorem; ita possessio rei solvendæ fit apud debitorem, ergo non apparet, cur debitor in eo casu debeat se spoliare certâ possessione rei suæ. *Ad 4.* putant satis esse, quòd probabiliter appareat falsitas. Sed hæc non omnino satisfaciunt, unde in rigore juris videtur præferenda tertia sententia. Circa dubium, an solveris pensiones annuas, Vide dicendam. 1056.

§. 11. Si Titius à Cajo acceperit 100. mutuos, dato Chirographo in testimonium obligationis, utroque autem mortuo hæredes Titii inveniant in libro Titii scriptum, quòd refusi sint illi 100, hæredes autem Caji adhuc reperiant Chirographum Titii, & debitum necdum in libris extinctum, *Less. in Auct. V. Contractus Cas. 8.* putat hæredes Titii non teneri solvere, nisi compellantur in iudicio; admittit tamen hæredes Caji

572



Caji posse petere in iudicio; sed probabilius videtur, vel teneri hæredes Titii, cum debitum sit certum, solutio autem incerta; vel debere petere compositionem iudicio viri prudentis; neutri tamen parti unquam licebit occulta compensatio, quia pro neutra est ius certum.

573 §. 12. In dubio, an res tibi commodata, e-locata, apud te deposita, perierit tuâ culpâ, *Morolla* & alii dicunt te teneri restituere, quia in dubio debet ille potius ferre damnum, qui beneficium accepit, quàm qui contulit: è contrâ *Lugo* d. 18. n. 14. & alii cum *Bardi* §. 10. & 11. probabilius dicunt, spectato iure naturæ te non teneri aliquid restituere, quia in dubio delicta non præsumuntur, & tu es in possessione tuæ innocentia; Ad quid autem in tali casu tenearis ratione contractûs & legum pro foro externo, dictum est n. 183.

574 §. 13. In dubio, an sis cooperatus alterius damno, non teneris, quia etiam hîc melior est conditio possidentis libertatem & rem suam; ex quo sequitur eum etiam excusari, qui scit quidem se dedisse consilium furti, sed dubitat, an alter re ipsa furatus sit: si tamen sciret eum, cui consilium dedit, esse furatum, dubitaret autem, an fur isto consilio efficaciter motus esset ad furtum, an verò ex propria malitia vel aliunde, putant *Regin. Less.* aliique cum *Dian.* p. 3. T. 5. R. 34. non teneri restituere, quia adhuc videtur esse possessio pro illo, sed *Mol. Sanch. L. 1. C. 10. n. 44. Lugo* d. 19. n. 21. probabilius dicunt teneri ad totum, vel saltem, ut aliqui dicunt, ad partem pro qualitate dubii, quia delictum alterius non debet præsumi, ergo nec præsumi debet da-  
tu-

turus fuisse damnum, nisi ego promovissem; deinde ex facto secuto est præsumptio pro efficacia consilii, ideoque in foro externo condemnarer ad restitutionem in defectu furis, ergo etiam damnatus sum in interno, cum non constet veritas contraria præsumptioni juris.

§. 14. Si dubium sit, an res aliena, quam quis 575  
tenetur restituere, sit materia peccati gravis an levis, peccat graviter, si non restituat, quia sic retinens exponit se periculo continuandi vel inchoandi injuriam gravem, quam non minuet ipsius error, ita *Carden.* in 2. crisi d. 23. n. 116. *Nec obstant dicta l. 1. n. 596.*, quod in dubiis minimum sit sequendum, nam hic prævalet possessio domini, qui rem suam, uti in se est, jure repetit: aliud esset, si dubitares, an grave an leve damnum intulisses, sic enim satisfaceres compensando leve, secundum dicta n. 568., quia haberes jus certum rei tuæ, quo non tenereris te exuere propter dubium jus alterius.

§. 15. Si dubitetur, quanti res fuisset valitura 576.  
ra, an apud furem sit deteriorata, an à domino fuisset servanda ad tempus, quo pluris vel minoris fuisset valitura, *Az. Rebel. Vasq. & alii* putant judicandum esse in favorem domini, quia videtur possessio esse pro ipso, sed *Lugo d. 18. n. 133. Less. n. 109. Dicast. d. 2. n. 47. Tambur. n. 7. Petsch. p. 227. Ills. n. 165.* probabilius dicunt pro ratione dubii esse restituendum, secundum judicium prudentum, quia domino nulla favet possessio, cum necdum extiterit major valor, dubietas autem imminuit æstimationem lucri & damni. *Conf.* nam si certum esset, dominum fuisse venditurum summo pretio, fur non teneretur nisi

ad totum valorem, ergo nunc, quando est dubium, non debet teneri ad totum: hinc etiam quando agitur de compensatione damni emergentis & lucri cessantis, generaliter dicitur, quòd iuxta certitudinem vel incertitudinem utriusque taxanda sit restitutio. *Nec obstat*, quòd in dubio inclinandum sit in favorem innocentis, nam hoc tantum verum est, quando est possessio pro innocente, vel quando res dividi non potest, nec utrique parti satisfieri. Addunt rectè *Dian. Les. Lugo, Turr. Tamb. Petsch.* te non teneri credere domino dicenti se rem hoc vel illo tempore fuisse venditurum aut servaturum, nisi accedant aliæ conjecturæ, hinc persistente dubio restituendum erit secundum proportionem compertæ veritatis aut remanentis dubii. Ex dictis,

577 *Infertur* 1. Quomodo limitanda sit doctrina *De Grassus, Polanc. Lohn. Gob. & aliorum*, qui dicunt in dubiis hinc Confessarium stare debere pro benigniore parte non restituendi, nam dicimus semper standum esse pro illo, pro quo est possessio. 2. Universaliter concluditur possessorem bonæ fidei teneri restituere rem, & quantum ex ea factus est ditior, possessorem autem malæ fidei teneri compensare omne damnum secutum domino rei.